Q. D. R. E. J.

De

Succesſione Principum, aliarumq; perſonarum Illuſtrium pacticia & anomala, quæ fit per

Confraternitatem,

Diſſertationum Nomico-Politicarum SECUNDA,

Quâ

THEMIDI ſpectanda Confraternitas ſiſtitur,

PRÆSIDE

NICOLAO MARTINI, JC.

Nov. & Polit. Prof. Ord. Acad. h. t. ProRectore Magnifico, & Facult. Juridicæ Decano,

RESPONDENTE


EVERHARDO BUNTEN,

Bilefeld. Weſtphalo.

In Auditorio Majore, ad diem 1. Auguſti.

KILONI,

Excud. Joach. Reuman, Acad. Typogr. Anno 1674.



27

VIRO
NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMOQ;
DOMINO,
DN. FRANCISCO MEINDERS, JCto.
Serenissimo ac Potentissimo Electori Brandeburgico, &c. &c. &c. à Consiliis Status & Belli Secretioribus,

Dn. Mæcenati & cognato suo multis nominibus venerando,

hanc

de CONFRATERNITATE

Dissertationum Nomico-Politicarum secundam,

eâ, qua par est, observantia

D. D. C.

RESPONDENS.

I. N. J.

Th. I.

COnfraternitatis in se consideratæ naturam, tum causas & affectiones, quæque præterea generalioris circa eandem sunt θεωρίας, uti præcedens exhibuit dissertatio; sic præsens Themidi spectandam sistet, h. e. ad æqui & recti normam seu regulam propius exiget. Nimirum, quia legibus Romanorum civilibus (quas uti juri, quod naturale vocamus, quam maximè nonnulli putant convenientes, ita communes passim Orbis agnoscit Europæus) successionū duæ tantummodo species, legitima videlicet ac testamentaria, cognitæ fere sunt; inquantum juri isti, quod aliquem inter gentes, cumprimis Europæas, usum obtinet, sive scripto, sive non scripto, conventionalis hæc, de quâ sermo est, successio conveniat, ut inde de pactionis hujus, & provenientis ex illa successionis, justitia, constet, accuratius inquiremus. Quod cum sublimioris, neq; cuivis obviæ sit indaginis, altius erat paulo ascendendum, deque Juris, ad quod, velut ad normam quandam notionalem, confraternitatem diximus exigendam, etymo, variis acceptionibus, præprimis ea, quæ præsentis est negotii, illius natura, principiis & affectionibus, late tractandum. In quibus omnibus, tanto nobis hic esse brevioribus licebit, quo solidiora de illis alibi, cœptis annuente Deo, tradentur.

II.

Juris vocem rebus diversis tribui, nec illos amplius latet, qui prima nondum in legali studio stipendia meruerunt; nec operæ precium facere illos proinde existimo, qui in varias ejus significationes, multis, ac operose, pluribusque paginis, in primo speciminum suorum frontispicio inquirunt, & cramben hanc vel millies coctam lectori erudito vel ad nauseam usque recoquunt. Nobis in illo sensu jam venit, quo *H. Grotio de I. B. l. 1. c. 1. n. 9.* usurpatur, & cum lege idem denotat, seu quendam legum dicit complexum. Tali modo sumpta voce, Ju- de-

scribi potest, *decretum superioris, continens regulam, ad cujus praescriptum, actiones quasdam morales instituere inferior, sub obligatione poenae, violationi legis imminentis, jubetur.* In naturale ac voluntarium (*νομικὸν* vocat *Arist.5.Eth.c.7.*) jus ita acceptum dividi, controversiam non habet inter eruditos. Quam bimembrem divisionem sufficere putant & illorum nonnulli, qui gentium aliquod jus, naturali contradistinctum, quodque hoc nomine proprie veniat, agnoscunt. Naturale non unius gentis aut populi, sed totius generis humani civitatem respicit: ac omnes adeo homines ad sui observantiam, ex natura objecti, obligat. Quae verba, juris hujus, à coeteris juris speciebus, discrimen insigne satis indicant. Formale in convenientiâ aut disconvenientia (sic loquitur *Grotius c.a.l. §.10.*) cum recta ratione, aut natura rationali cernitur, unde nec in bruta cadere posse, nisi vocem juris in sensum velis ignobiliorem detorquere, quicquid pro jure bestiali *Hieronymus Rorarius*, aliique contendant, qui sunt inter juris privati Consultos, reliquis accuratiores, facile largiuntur. Quodnam verò sit convenientiae ac disconvenientiae istius fundamentum, rectius alibi docebitur.

III.

Actus, de quibus jus hoc constituit, tales sunt, ut in se spectati, debiti sint vel fieri, vel omitti: *qua nota jus hoc distare, non ab humano tantum jure, sed & divino voluntario,* loco ante laudato *Grotius* monet. Unde non ineleganter, *juris naturalis obligationem à naturâ objecti oriri, & inde se diffundere in praeceptum*, dixit *Ludov. Mol. de J. & J. tract. 1. disp. 4.* Quae sit ejus probandi ratio, tum subtilior, tum popularior altera, paulo post explicabimus.

IV.

Alterum ius dicitur legitimum, Graecis, uti diximus, *νομικόν*; quod idem nonnullis audit voluntarium, eò quod à voluntate legislatoris praecipientis vim obligandi accipiat. Voluntas illa cum sit vel divina, vel humana: duplex inde jus voluntarium enascitur; divinum scil. ac humanum. Illud quamvis cum jure naturae confundere, sit nonnullis perquam solenne; ab eo tamen aliquo discrimine internosci, curateque distingui, ad multa refert. Nobis denotat *decretum legislatoris Dei à voluntate ejus absoluta vim trahens obligandi illos, quibus est latum.* Quae datae definitionis nostrae verba, siquidem

dem rectè habent, quomodo à jure, quod naturale dicimus, hoc differat, clare satis ostendunt. Versatur jus hoc circa tales actus, qui antequam vel fieri vel omitti à DEO jubeantur, licite vel fieri vel non fieri poterant, quique sepolita volunte divina, secundum se spectati, vix quicquam continent ejusmodi, propter quod fieri illos aut omitti sit præcise necessum. De hoc jure divino voluntario diligenter tractat *Grotius de I.B. l.1.c.1.§.15. & seqq. ad usque finem capitis*; in quibus aliqua non abs re forte desideraveris; quæ cum ad Theologorum spectent examen, huc trahi temere non debent. Nobis jam quidem sufficere potest, juris istius naturam, rudi, quod ajunt, Minerva, delineasse. Dividitur *H. Grotio c. a. l.* & recte quidem, in illud quod omnes homines obligat, & quod uni est populo peculiariter à Deo datum.

V.

Humanum trimembri divisione, in civile, latius patens, & arctius, dispescit *Grotius c.l.§.14.* singula quoque divisionis istius membra dilucide satis explicat. Quam quidem sententiam suo nunc loco relinquemus, alibi de toto hoc negocio fusius & solidius dissertturi. Nos uti præter jus illud, quod singulorum populorum dicitur, aliud Voluntarium humanum non agnoscimus; Ita de illo, quod Gentium nonnulli usurpant JCti, ac naturali & civili contra distinguunt, ut pote non ente, quod dicamus, non habemus.

VI.

Civile, quod & proprium vocatur, §.1. *Inst. de I.N.G.C. & l.6. ff. de I. & I* est, quod *qualibet perfecta societas, juris fruendi & commodi ergo congregata, aut qui in illa societate jus habet, constituit, suisque præscribit.* Hujus à naturali, ac Divino voluntario, discrimen adeo est evidens, ut multis illud ac operose subindicare, soli fuerit lumen fœnerari. Verbo tantum venit hic notantum, quemadmodum, qui jus illud constituunt, populi sunt aliis alii nobiliores ac cultiores, ita civitatis unius leges, alterius legibus merito præferri; inter omnia vero Jura, illud, quod Romanorum civile vulgo dicimus, cultioris Europæ moribus, principatum, per plura jam secula obtinere.

VII.

His in primo dissertationis hujus secundæ limine, de jure, ejusq; differentiis, *ὡς ἐν παρόδῳ* prælibatis, ad rem propius nunc accedemus, *an & in quantum juri vel naturali, vel voluntario, conveniens sit, aut ab alterutro, vel utroque dissideat pactum confraternitatis*, cura haud perfunctoria investigaturi. Ab illo, quod dignius est, & unà cum genere humano cœpit, primam ab ipso DEO originem trahens, jure, naturali videlicet, orsum formabimus. Huic, *an & qt. congruat pactum successorium*, rectius ut perquiratur, ad quatuor potissimum fuerit respiciendum. Primum est; *quomodo nobis innotescat, esse aliquid aut juri naturali consentaneum, aut cum eo pugnare*; quod quidem nosse accurate, tum ad multa alia, tum præmuniendæ ad cætera viæ, nobis in præsente haud parum prodest. Alterum; *an pacti hujus hæc sit natura, ut alterius tertii pacto non comprehensi jus lædat*, idque per se, non vero per accidens, ut scholæ loquuntur. Tertium; *quantum domini voluntati, in disponenda hereditate tribuat jus naturæ*, & an *quoad actus alienativos, aliquam inter bona alicujus omnia h. e. jus universum, aut illorum partem, & res singulas differentiam, ius idem constituat?* Et ista quidem tria ad primam pertinent quæstionem. Quartum denique & ultimum, quod ad posterioris quæsiti facit enodationem, est, ut personis pactum hoc mutuo ineuntibus, ut & illis, quarum interesse quovis modo poterat, solicite consideratis, *quousque juri huic conveniens sit*, expendatur. Singula nunc breviter excutienda.

VIII.

Primum quod attinet; quia præter Decalogum, breve quidem illud, sed exactum legis naturæ compendium, nullæ exstant scriptæ tabulæ, quibus illa, quæ juris hujus sunt, probentur; factum exinde fuit, ut, quæ ad jus illud spectant, aut prorsus ignoraverint quam plurimi, aut inutilibus disceptationibus magis implicita reddiderint quam expedita. Quin, eò delapsi sunt absurditatis nonnulli, ut aliquod ejusmodi jus omninò dari, præfracte negarint. In quorum familia facile princeps est *Carneades*, is, qui, dicente *Grotio in Proleg. de I. B. & P. ad id pervenerat, quod Academiæ suæ summum erat, ut pro falso non minus, quam pro vero, vires eloquentiæ posset intendere.* Cui sententiæ, (quam & Aristippus, eumque secuti Cyrenaici, teste

teste *Diog.Laert. l.2. in Aristipp.* & Epicurus, ut habet *P. Gassendus in Philos. Epicur.* foverunt) non falsæ tantum, ceu docet eleganter *Lactant.Firm.div.Inst. l.5. c.18.* sed & impiæ, hodiernis adhuc dum temporibus, in tanta eruditionis luce, inter Christianos, suffragari nonnullos, hoc magis videri mirum debet, quo major è revelato Dei verbo lux affulsit. Sed hæc aliò spectant. Quomodo probetur, esse aliquid juris naturalis, nec ne, adeoque cum illo aut convenire aut pugnare, nobis est inquirendum. Ad fontem digitum intendit doctissimus *Feldenus Elem. Jurispr. Univers. part. 1. c. 5.* Nec desunt alii, qui novas ejus investigandi vias invenire allaborarunt. Lumen scrutantibus accendit *H. Grotius de I. B. l. 1. c. 1. §. 12.* duas illius probandi rationes adducens, quarum altera subtilior, popularior altera dicitur.

IX.

Illa rei alicujus cum natura rationali aut sociali convenientiam, aut disconvenientiam necessariam ostendit; quæ uti plus artis ingeniique requirit, ita dubio procul, altera illa longe quoque certior est ac firmior. Quicquid itaque societati civili ordinatæ, qualem natura appetit, cujusque vinculum jus est, conservandæ, per se conducere, practico judicio percipiunt homines, neque institutum aliquod humanum deprehendunt, juris naturalis esse firmiter colligetur: Contra verò, quicquid istam societatem dissolvit, ac destruit, aut ut rectius loquar, naturæ societatis repugnat, juri quoq; naturali militare, est omnino putandum. Quænam vero sint illa, quæ societati ita ordinatæ, ejusq; naturæ repugnant, exacte designare, non est, nisi illius demum, qui societatis humanæ conditionem ac naturam habet intimius perspectam.

X.

Huic societatis, non cujuslibet, sed excellentis, appetitui, rectæ rationis judicium, ac voluntatem divinam mentibus inscriptam, in Decalogi tabulis repetitam, neque uno in Scripturis loco declaratam, postea *Grotius* jungit. Ad rectæ rationis normam exigenda, quæ juris hujus censentur, nullum est dubium; neque proinde tamen juris naturalis origo vere vocabitur recta ratio, quæ, quid in actibus hominum moralibus justum sit, quid injustum, dictitat quidem; iste tamen dictatus neque imperium est, neque debitum aut fieri aut omitti vi sua efficit, sed ex principiis certis, ac irrefragabilibus, & lumine naturæ colligit, ac declarat, actum aliquem menti & voluntati divinæ, in sanctitate ejusdem fundatæ, aut conformem esse, aut eidem

repugnare, quodque consequi hinc necessum est, ab Autore naturæ Deo, talem actum vel vetari vel præcipi. Quæ quidem si vera sunt, fontem juris naturalis ac originem unicam, Dei Opt. Max. voluntatem, in sanctitate & justitia ejus fundatam, ad societatis humanæ perfectioris conservationem tendentem, de quâ internum intellectus nostri judicium recte conformatum testetur, dicere quid prohibet? Respexisse eò videntur Chrysippus & Stoici, qui juris originem non aliunde potendam, quam ab ipso Jove dicebant. vide *Grot. in Proleg.* & quos *in Annot.* citat *Autores*. Quoties itaque actus alicujus aut convenientia aut disconvenientia cum mente ac voluntate divina, rectæ rationis dictamine præeunte, ostenditur, toties aliquid juri naturali vel consentaneum, vel ab eo discrepans probatur.

XI.

Altera jus naturæ probandi ratio popularior (inartificialem Rhetores dicerent) quemadmodum plus habet laboris & lectionis, ita minus ingenii judiciique requirit. Testes hæc producit gentes, si non omnes, saltem moratiores omnes, illarumque circa ea, quæ juris dicuntur naturalis, consensum. Huic probandi modo non multum deferre videtur *Jan. Seldenus de I.N. & G. l. 1. c. 6.* Hebræorum pro se laudans institutum, qui gentium aut omnium aut complurium moribus, opinionibus, constitutionibus, jus naturale non metiebantur. Sed & ipse *Grot. l. 1. c. 1. §. 12.* haud aliter ferme videtur judicare, quando non certissima fide, sed probabiliter colligi ait, juris esse naturalis id, quod apud omnes gentes, aut moratiores omnes tale esse creditur. Quam minime certus autem sit hic procedendi modus, pluribus, siquidem nobis id agere decretum foret, haut multo labore posset ostendi. Quia enim primo certissimum est, gentes aliquot integras, non in multis tantummodo capitibus, & partibus, jus illud olim violasse, sed integrum quoque pravis moribus & consuetudine perversa, delevisse, ab illis vix sanè quicquam exspectes. Consulendæ sunt, inquies, illæ, quæ reliquis apparent moratiores. Jamjam respondebitur. Deinde quia præcepta juris illius vel principia sunt, vel conclusiones, eæque aut prompte & citra difficultatem ab indoctis etiam, ex illis principiis deducantur; aut difficilius & ab eruditioribus demum per discursus & ratiocinationes alias ex iisdem principiis inferantur: sive principia ipsa, sive conclusiones spectes,

cur

cur isto ad consensum gentium recursu sit adeo opus, vix invenies. Principia illa; cum pauca sint, & ob sui evidentiam, quod principiis proprium est, ab omnibus, qui terminos intelligunt, vera esse agnoscantur, de illis gentium colligere suffragia, cui bono fuerit? Conclusiones, evidentiores præsertim illas, quod attinet, cum plusquam sit verissimum, non eadem, ut *Nepos Cornelius alicubi* loquitur, omnibus esse honesta aut turpia, quinimò gentes etiam pro cultissimis olim habitas, moribus circa ea, quæ tali modo juris sunt naturalis, dissidere; quis in tanto populorum dissensu, vel leve aliquod indagandæ veritati paratum esse præsidium putabit? Græcos reliquum omne quod erat mortalium, nec ipsis Romanis ab hoc censu eximiis, turpi barbarorum cognomine infamasse, quis est qui nesciat? Iidem ut & Romani, Ægyptios, artium doctrinæque reconditæ laude imprimis conspicuos, ob superstitionem ridebant. Hebræos vero, electam DEO gentem, propter ritus qvamplurimos in sacris usitatos, cumprimis ob circumcisionem tamen, ab ipso Deo imperatam, non tam contemnebant, quam exsecrabantur. De posterioris generis conclusionibus, ut agatur, operæ precium nequaquam puto mereri, cum circa illas suis institutis adhuc magis varient gentes.

XII.

Hactenus dicta, quam male tutum sit, gentium consensui plus æqvo tribuere, faciunt manifestum. Qvibus tamen hanc probandi, aut ut castigatius dicam, plurium gentium suffragiis, ea, qvæ juris naturæ sunt, declarandi, viam, qvam nullus, ut arbitror, eruditorum, simpliciter improbaverit, placet insistere, Philosophorum principis Aristotelis autoritate se possunt etiam tueri, qui jus naturæ plus semel à posteriore describit, *quod ubique eandem vim obtinet 5. Ethic. c. 7.* modo id fiat in subsidium, melioribus ac fortioribus argumentis, quæ nunquam militant ignobilioribus, in primâ certaminis acie collocatis. Illud interim non possum non audacter profiteri, plus conatus & pompæ, quã triumphi, in ferculis ostentare videri, qui juris naturæ præcepta, vel ab Indorum Gymnosophystis, vel à Sinensium Confucio, vel Japonensium Bonziis, è remoto barbarorum hominum aëre, in puriorem accersunt Europæum. Quasi vero magni moliminis res sit, ex autoribus in vulgus etiam non ignotis, testimoniorum hinc inde centones compilare, aut præter laborem aliud magnopere desideret. Sed

quor-

quorsum prolabor? Maneat firmum, qvi scopus nostri hujus discursus est unicus, per illas è lumine rectæ rationis, eqvè principiis certis deductas conclusiones, quæ juris sunt naturalis, omniũ certissime probari.

XIII.

Ad hanc porro normam semel à nobis constitutam, pactum confraternitatis nunc erit diligentius expendendum. Paciſci cum altero, de re aut negocio quopiam, prout in se spectatur actus ipse, ex illorum genere est, quæ licita ac humani arbitrii libertati sunt concessa. Qvemadmodum vero in actibus aliis, ita in hoc quoque fieri potest, ut libertati cæteroqvin naturali, ponat impedimentum qvoddam morale, aut conditio personæ, aut res vel factum aliquod in conventionem deducendum. Qvod personæ conditio ponit impedimentum, vel ætas rebus administrandis impar, vel aliqua mentis infirmitas, vel potestas, cui qvis subest, efficiunt. Ætas, qvæ nihil aliud hic est, quam *mensura temporis illius, quo qvis fuit in vita*, qvoad præsens negocium, in minorennem, & majorennem non incommode dividetur. Qvando definat minorennitas, cum non præcise definiat jus naturæ, non uno modo suis institutis videas hic incedere gentes; hæ longius, aliæ brevius minorennitati spacium præscribunt. Ætatem in paciscentibus talem naturæ jus requirit, quæ vere possit consentire, ac plenum habeat rei gerendæ intellectum; cætera legislationis humanæ arbitramento liberius determinanda permittit.

XIV.

Mentis infirmitas, qvæ qvidem talis est, ut consensum prorsus exterminet, qvin paciscendi libertati ponat impedimentum, dubitari minime potest. Recte *Cajus IC. l.1 §.12 ff de O & A. furiosum sive stipuletur, sive promittat, nihil agere, natura manifestum esse*, pronunciavit; adde *l.5. ff. de R.J.*

XV.

Ratione potestatis qvoqve frænum injici libertati, pervulgatum est. Potestas *jus personæ in personam, non propriam, sed alienam, notat, illius libertatem augens, hujus vero diminuens.* In publicam & privatam dispesci, notius fere est, qvam ut indicari mereatur. Publica vocatur imperium, quod est aliud *κατὰ νόμον*, ut *Philosophus* loquitur, h.e. *legibus adstrictum*, aliud *ἀνυπεύθυνον s. absolutum.*

Priva-

Privata patriam, dominicam, conjugalem, tutoriam denique ac curatoriam species sortitur. Quomodo in illis, qui publicæ alterius potestati subsunt, distingui circa pactum hoc confraternitatis ineundum debeat, dissertatione prima fuit edissertum. Qui privato alterius imperio subjecti sunt, eo minus ad pactum hoc debent admitti, quo magis illorum, in res ac bona dominium, legibus non civilibus tantum, sed ipsis etiam naturalibus est restrictum, & limitatum.

XVI.

In rebus, quarum proxima est inspectio, ne de illis paciscendi libertas impediatur, nihil hactenus desiderare juris naturalis simplicitas videtur, quam ut I. res illæ promiscuo hominum commercio, quoad jus illas occupandi, sibique habendi, non sint exemptæ; quales, si intra solius juris hujus terminos te contineas, illæ sunt, & quidem solæ, quæ, ut Neratium *JC. l. 14. ff. de A R. D* nonnulli capiunt, *à natura ad omnium hominum usum proditæ, in nullius adhuc dominium pervenerunt.* Adde, quæ *nos contra Auberium part. 1. c. 1. § 5 sub finem* de rebus istis diximus. II. Ut paciscentium dominio, sive pleno, sive restricto, res illæ subsint: nam quod de rebus alienis, quod & ipsæ in pactum deduci interdum queant, JCtorum nonnulli tradunt, suo loco relinquimus, neque huc pertinet. Quia enim pacto confraternitatis id agitur, ut jus aliquod, in rebus conventione expressis, alter consequatur; & vero res alienæ sint extra meam potestatem, sequitur exinde, frustra mecum pacisci alterum, ut actu meo, jus aliquod circa res illas sibi constituatur; juxta regulam pervulgatam, quæ vult, ut nemo plus juris in alium transferat, quam ipse habet. III. Ut in rebus illis non habeat tertius aliquis pacto non inclusus, jus aliquod legitime quæsitum, quod adversus ipsum valeat paciscentem (huc enim præcipua difficultatis istius alterius summa redit) &, quod qui lædit, injuriam faciat, quæ læso det actionem in foro humano, cujus inter diversas gentes, illarumque Rectores, vicem occupat bellum. Verum de illo jure mox plenius. De fœminis etiam, quæ pacto hoc lædi quam maxime videntur, & illarum descendentibus, infra dicetur. IV. Ut specialem ob causam, de talibus rebus pacisci, jure civitatis, in quâ quis vivit, voluntario, non sit prohibitum. Talia namque juris voluntarii scita reverenter habenda, magistratuique parendum esse, rectæ rationis est dictamen.

XVII.

Pactum denique, si qvod in conventionem deducitur, tale debet esse, ut ejus præstandi facultas sit penes illum, qui factum in se recipit. Huic autem facultati obicem ponit impossibilitas (utamur sane vocabulo JCtis usitato) quam faciunt aliam Physicam, & aliam moralem; cui tertiam, quæ meri facti est, quidam superaddunt. Prima factum continet ejusmodi, in quo præstandi facultas simpliciter ac omnino deficit, qvodqve fieri non permittunt vires naturæ: v. gr. si qvis aut cœlum digito se velle attingere, aut cum vinolento isto mare Ægæum exhausturum promittat. Talis obligatio delusoria est, nulliusqve momenti.

XVIII.

Similis huic quodammodo est, per interpretationem tamen, & moralem loquendi modum, quæ rem turpem & legibus vetitam continet; nam ut sanctissime JCtorum veterum sublimissimus *Papinianus ait l. 15. ff. de condit. instit. quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, &* (*ut generaliter dixerim*) *contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est.* Qvæ verba, licet de talibus, qvæ naturali jure prohibita, ac in se proinde turpia sunt, proprie veniant intelligenda, ad ea tamen etiam, qvæ per aliquam legem civitatis in vetitum ire cœperunt, merito sunt extendenda. Quæ enim foro externo & legibus Reip. positivis, interdicuntur, ac ob id delicti habent rationem, quod ab imperium habentibus sint prohibita; foro etiam conscientiæ interno vetari, per discursum è principio practico, quod Magistratui parendum esse vult, recta ratio dictitat. E qvibus, id qvod dixi, liquet, pro turpibus & moraliter impossibilibus, quicquid hic in contrarium non nemo differat, habenda videri & illa, quæ lege aliqua societatis civilis positiva, fieri indebita decernuntur.

XIX.

Circa ea, quæ facto talia sunt, ut fieri non possint, haud uno forte modo fuerit distinguendum. Aut enim conventionis initæ tempore factum erat possibile, aut impossibile. Si prius, tum vel citra culpam promittentis, & ex eventu contigit, ut factum præstari nequeat; & tum, siquidem non mutua fuerit obligatio, præstando id, qvod vires ac summi conatus admittunt, si vero mutua fuerit

con-

conventio, quod ei ex altera obligatione respondebat, remittendo, liberabitur promissor, adde quæ habet *Grotius l.3.c.20.§.37.* Contra si dolo fecit, quo minus præstari possit, quod est promissum, ad præstandum interesse tenebitur. Posteriore casu, quando nimirum tempore illo, quo conventionem paciscentes ineunt, factum est impossibile, paulo est aliter distinguendum. Aut enim uterque hoc noverat; & non tam seriò, quam joco potius agere, neque pacisci sed ludere tantum voluisse, dicendi sunt. Aut alterutrer tantummodo sciebat; & hoc casu de dolo solus tenebitur. Ex hisce, quæ jam diximus, cuivis apparet, neque conditionem personarum paciscentium, neque res aut facta in conventionem deducta, pacto huic obstare; quodque consequi hinc est necessum, juri naturæ pactum hoc non adversari.

XX.

Progredimur ad tertium, ad quod respiciendum *supra §. 7.* diximus; *quantum* scil. *domini voluntati in disponenda hereditate futura, tribuat jus natura?* Per hereditatem hic intelligimus *bonorum universitatem, quam morte domini jacentem, aut heres occupat, aut illo deficiente, fiscus.* Non opus est autem, ut ad juris Rom. civilis scita, quoad præsens negocium, fiat recursus; quamvis enim per illa, dominis, quoad rerum suarum dispositionem, facultas amplissima, ac illimitatum fere arbitrium permitti videatur; ad ultimam tamen de bonis illis testandi voluntatem, deqva nobis hic sermo proprie non est, hæc solummodo spectare, ipsa legum, quæ pro libertate ista possunt adduci, verba penitius inspecta, statim docebunt: *vide l.120 ff. de V.S.l.1.de SS. Eccl.* Sed & legibus postmodum variis valdè circumscribi cœpit liberior illa testandi (legandi voce utuntur legg. XII. Tabb. compositores) non tam libertas, quã licentia, è jure (sic nonnulli volunt) Solonis Attico primam ducens originem. Quid jus naturæ decernat, nobis incumbit exquirendum. Paucis rem dabimus sic expeditam. Dominii, pleni nimirùm, hanc esse vim atque naturam, ut res illo affectæ plenissimo alicujus arbitrio subjiciantur; ita quidem, ut rebus illis, & ad usum, & ad compendium, non solum uti-frui, sed abuti etiam, nisi in quantum ratio aliqua civilis obstat, de iisdem disponere, illasque, prout visum fuerit, alienare quis possit. Et hi quidem sunt actus isti, in quibus tota dominii secundum se spe-

ctati vis cernitur: è quibus, quanta sit domino ejusque voluntati, in rebus suis tribuenda facultas, fit manifestum. Nihil itaque hactenus impediet, quo minus de rebus dominio suo subjectis, voluntate, non ultima duntaxat, sed quovis alio voluntatis inter vivos actu, disponere quis pro lubitu queat.

XXI.

Verum quia sæpissime contingit, ut in bonis, quæ pleno etiam dominii jure ad nos spectant, (de fræno illo, quod publica civitatis salus, privatorum circa res suas libertati nonnunquam injicit, nihil dicam) jus aliquod quæsitum alter habeat, quod illi auferri citra injuriam non possit; sequitur exinde, libertatem domino, in re sua, qvoad actus jam dictos, aliàs competentem, hoc ipso valde restringi. Illud vero jus, quod in alterius bonis alter habet nonnunquam quæsitum, vel ex pacto resultat, vel lege est aliqua constitutum. De priore præcedens monuit dissertatio; Posterius vel ipsa naturæ lex, vel voluntaria aliqua, in bonis alterius constituit. Sic ipso naturæ jure, parentum bona liberis ex se procreatis debentur, & in bonis illis jus aliquod, jam tum vivis adhuc parentibus, habent quæsitum, v. vo quoque patre, domini quodammodo existimantur. uti *§. 2. Inst. de hered. qual. & diff.* loquitur Justinianus Imperator: quæ verba licet de suis tantum heredibus, quos *αὐτοκληρονόμους* Græci vocant, ibidem dicantur, de liberis tamen omnibus, re intra juris naturalis terminos considerata, commode possunt intelligi. Juris istius quæsiti intuitu parentium hereditas debita successio, & quidem, ut *in notis* addit *Gothofredus*, jure naturæ debita, dicitur *à Paulo IC. l. 7. ff. de bon. damnat.* adde *Interpp. ad c. a. §. 2. Inst. de her. qual.* nobis enim non licet hic esse prolixioribus, ceu fas est illis, qui prænobile hoc, de jure liberorum, in bona parentum, lege naturali quæsito, ex dignitate tractare satagunt argumentum.

XXII.

Porro quia liberi parentum sunt alii naturâ, per procreationem scilicet; alii facto, s. lege aliquâ, naturam imitante, nimirum per adoptionem: natum exinde liberorum in naturales ac adoptivos discrimen. Procreatio illa vel fit legitime, & secundum præcepta legum, vel illegitime: hinc liberi naturales alii sunt legitimi, quidam illegitimi; qui pro diversis criminum gradibus, per species ab invi-

invicem varias distinguuntur. De naturalibus legitime natis quin *praced.* §. dicta veniant intelligenda, in dubii periculum nemo temere vocabit; cum quibus pari, quod succesfionem legitimam quidem attinet, jure censentur illi, qui per adoptionem nostri sunt facti, sive intra solius naturalis juris pomœria te contineas, sive illius, quod Romanorum civile est, fines ingrediaris, §.2. *Inst. de adopt.* §.14 *de hered. quæ ab intest. def.* De illegitimis aliquod superesse dubium poterat videri, propter civiles quam plurium populorum leges, quibus à succesfione, in parentum bona, tales omninò repelluntur, & quas observari, jus ipsum naturale præcipit. Sed nobis hic de Jure naturæ sermo est, per quod, cessante lege civili, nullum, quoad hanc in bona succesfionem, inter legitimos, & illegitime natos, discrimen agnosco. Quod si vitium illud nativitate contractum, Majestatis indulgentia [quod fit per legitimationem quovis modo factam] purgari contingat, quo minus, ipso etiam jure civili, parentibus suis succedant, nihil obstat.

XXIII.

Quærere hic non inepte quis posset; I. An post initum cum aliquo confraternitatis pactum, in filium liceat adoptare extraneum? quod si quidem bona quis allodialia tantum possideat, negandum omninò putarim, propterea quod talis adoptio non possit non hoc casu fieri in fraudem confratris, ac alienationis habeat effectum, quæ uti *differt.* I. ostensum, confratribus permissa non est. Quod si bona fuerint feudalia, quem possit effectum talis adoptio sortiri, non video, cum *filius adoptivus in feudum non succedat, Feud.* 2. *tit.* 26. §. *adoptivus*, nisi ea lege facta sit per Principem arrogatio, ut adoptivus succedat, aut cum arrogatione vel adoptione, jura naturalia concurrant; qui duo casus huc non spectant. Quod si aut pacto cautum, aut statuto vel consuetudine sit alicubi introductum, ut & adoptivi succedant, quod fieri posse, *ad hunc* §. notant *Baldus aliiq; Dd.* adoptantem hoc casu nihil agere, neque cum pacto confraternitatis hanc posse consistere adoptionem, certum est. II. An confraternitas intercedat, quo minus locum inveniat legitimatio, facta hoc fine, ut in bonis feudalibus (nam de allodialibus tanta non est difficultas) confraternitate nexis, filius naturalis succedat? Tres fuisse præcipuos olim, apud Romanos, legitimationum modos, est notis-

 simum,

fimum, quarum quæ per oblationem Curiæ fiebat, pridem jam exolevit. Duæ quæ sunt reliquæ, hodiernis adhuc temporibus usu frequentantur. Si quis igitur, ex muliere, cujus matrimonium minime legibus interdictum fuerat, filium naturalem susceperit, dubium suboritur; an aut per subsequens matrimonium, patris voluntate legitimari, aut ad legitimandum, hoc pacto, ut in bonis succedat, Principi possit à patre offerri? quod utrumque censeo affirmandum. Et quidem circa legitimationem illam, quæ fit per subsequens matrimonium, magis expedita res videtur, cum tali modo legitimatis, & civili & canonico jure, quod legibus feudalibus correctum non est, eadem cum legitimis succedendi jura competant *l. 10. C. de nat. lib. c. 6. qui fil. sint legit.* ac talem legitimationem, quam conjugalem dixit *Gail. 2. Observ.* 141. *n.* 1. jus naturæ ipsum quam maxime dici possit approbare. Plus difficultatis habere poterat videri, legitimatio Principalis, cum per illam facti legitimi, in feudis non succedant, quæ communis est fere Dd. sententia, *ad Feud. 2. tit. 26. §. naturales.* cæterum & hoc modo legitimatos in feudis succedere, dummodo disertis idipsum verbis, & nominatim rescripto contineatur, recte tradunt *Gothofr. ad d. §. naturales. Mynsing. 5. Observ.* 42. *& Gail. 2. Observ.* 142. *n.* 12. Quod non tantum de feudis novis, in quibus & alias nihil agnatis debetur. *Feud 1. tit.* 14. *in fin.* sed antiquis etiam venit intelligendum. Cum itaque per utramque legitimationem, tam principalem etiam, quam conjugalem, jus legitimorum liberorum legitimati consequantur, per quod non agnatis modo omnibus præferuntur, sed cum ipsis etiam fratribus germanis legitime natis, pari, quod ajunt, passu incedunt, sequitur, his etiam, qui sunt ex pacto confratres, merito illos anteferri. Verum de liberis plus satis est jam dictum.

XXIV.

Unicum restat notandum, à lege naturali, quâ liberos ad parentum bona vocari, supra diximus, & per quam jus illis aliquod, quod perfectum dicere hactenus liceat, in bonis parentum constituitur, non removendam paternæ voluntatis conjecturam, *quâ*, uti *Grotius de I. B. l. 2. c. 7. n. 5.* ait, *parentes creduntur id velle, ut liberis quam optime prospectum sit.* Ut adeo jus hoc præsumpta parentum voluntate niti, etiam recte sane dicatur.

XXV.

XXV.

Eadem, quoad disponenda bona, voluntatis domini ratio est, si jure societatis alicujus legitimo constitutum sit, ut de bonis vel non liceat ullo modo disponere, vel non nisi de partis per industriam; sed ut proximioribus, intra certos necessitudinis gradus constitutis, ex lege civitatis, bona obveniant; qualem ante Solonis tempora legem fuisse Athenis, scribunt nonnulli. Hoc enim casu, quin jus aliquod, in bonis alterius, ex lege civili, quam servandam ratio naturalis, ut supra quoque monui, dictitat, constitutum habeant proximiores isti, dubium non est. Huc usque dissertata declarant evidenter, dominorum voluntatem, circa bonorum suorum dispositionem, multum restringi, quando lege aliqua, sive naturali, sive voluntaria, jus aliquod succedendi certum, quodque ad juris perfecti vim quam proxime accedat, viventibus adhuc dominis, est aliis constitutum. Extra hos vero casus, vi ac natura dominii, jus suum dominis, in alium quovis modo transferre res suas volentibus, manere salvum.

XXVI.

Sunt, qui & eo casu, quo hereditas, seu bona, lege deferuntur, à domini voluntate, saltem probabili ac præsumpta, successionem ab intestato, naturalem habere originem dicunt; *vide Grot. l. 2. c. 7. §. 3. & ad eum in Comment. doctiss. Boclerum.* Verum hic observandum; duplici modo per legem deferri hereditatem; I. Ut certis illam personis, in casum mortis domini, lex adjudicet, liberrima nihilominus de bonis illis aliter disponendi facultate domino relicta. II. Ut omnem, quæ in contrarium est, mentis testationem super bonis illis domino interdicat: quod ipsum quando fit, an non ad scopum potius civitatis totius, quam præsumptam illam privatorum voluntatem respiciat legislator civilis, minimùm possis haud præter rem dubitare. Testantur idem varia diversarum gentium instituta, nec ulla re magis fere, quam legibus, quæ de successionibus legitimis, ubi liberi deficiunt, videas dissidere gentes. In hâc, soli agnati, exclusis cognatis, etiam gradu proximioribus, ad bona admittuntur; alibi, jure æquali, omnes, ejusdem gradus qui sunt, in portiones æquas succedunt. Est, ubi fratrum filii jure subitionis in locum patris sui, cum patruis admittuntur; est ubi repræsentationi locus non est. Et quis discrepantes hos in gentibus usitatos successionum modos

orati-

oratione brevi complectatur? Qui non poterant tamen nisi uno fere modo habere, si ad conjecturam voluntatis, quæ constans hic esse creditur, ut aut gradu proximioribus & carissimis, bona obveniant; aut, unde venerunt, eò revertantur, semper fieret in hoc negocio respectus.

XXVII.

Paucis adhuc notari meretur, cum res aliæ dicantur singulæ, quædam vero universæ; quoad actus alienativos, nullam, si jus naturæ respicias, inter res illas esse differentiam; cum eadem cadat in utrasque affectio, neque minus sint in commercio res universæ, quam singulæ. Eadem quoque dominii secundum se spectati est natura, quâ bonorum universitatem, & quâ res singulas tenemus; neque vim suam magis in his, quam in illis exserit. Adde, quod effectus domini, qui sunt, liberrime de rebus disponere, res illas alienare, & amissas vindicare, non à rebus eidem subjectis, illarumque aut paucitate aut multitudine, sed ipsâ dominii indole ac natura veniant æstimandi. Sed quo dilabor?

XXVIII.

Ex hactenus dictis constare crediderim, juri naturæ non refragari pactum confraternitatis, sive juris istius indagandi aut probandi rationem principaliorem, sive pactum in se, sive facultatem dominis, res suas, tam universas, quam singulas, in alium transferre volentibus, hoc eodem jure concessam spectes. Reliquum nunc est, ut de personis, tam quæ pactum hoc ineunt, quam quarum poterat aliquo modo videri interesse, quo magis minusve pactum ineatur, paucis, ut recepimus, agatur. Quæ personæ possint hoc modo pacisci, præcedens dissertatio prolixius exposuit, quæ ne repeti hic vitiose quis existimet, aliam nunc insistemus viam; quid circa personas illustres, superiorem non recognoscentes, quoad jus naturæ præterea veniat observandum, operam daturi, ut perquiramus. Ad rerumpubl. quæ regimen unius præferunt, Rectores, tota controversia referetur; fieri quippe longe potest facilius, ut cum exteræ gentis Principe, tale fœdus hi pangant, quam qui polyarchicis Rebuspubl. præsunt; in quibus τῶν κυριευόντων familia, (uno casu, de quo inferius, excepto) evenire vix potest, ut omnis emoriatur.

XXIX.

Regum non unam esse conditionem, pervulgatum est adeò, ut nec illos amplius lateat, qui ultra primos doctrinæ civilis ductus, haud quicquam sapiunt præclari. Duo hic consideranda jura multum inter se diversa; primum in ipso regiminis actu vertitur, & spectat actus in Republ. gerendos. Alterum magis refertur ad regnum, materialiter (ut sic loqui liceat) consideratum, & in dispositione bonorum accretum, ad regnum pertinentium cernitur, inque dominii effectibus vim suam exserit. Jus imperii, resque summam reipubl. attinentes administrandi facultatem spectant illa, quæ & *Aristot. 3. Pol. c. 10. & M. Cicero*, aliique, de regnorum differentiis tradunt. Sed illa nihil ad præsens faciunt negocium. Quæ de modis habendi, *Grotius, de I.B. l. 1. c. 3. n. 11.* apto magis, ut intelligi voluit, significatu, quam loquendi modo, tradit, ad rem propius pertinent. Ut formulas captem, quando de negocio constat, difficulter equidem me patior adduci; aliàs enim, jus, quod in re homines habent, à modo habendi diversum quid esse, & quid alterum altero intersit, minime ignorasse nostrum, procul à dubii periculo pono. Philosophiæ huic Grotianæ qui pressius inhærent, triplex Regum cognoscere discrimen cogentur: quidam pleno proprietatis, alii usufructuario, nonnulli temporario jure regnabunt. Posterioris an omninò detur, aut dari aliquod possit exemplum, haud abs re dubitaveris, neque quod de Dictatore *Grotius* affert, tale quidem est, ut rigorosius sustineat examen. Adde quæ in *Comment. ad Grot.* hic doctissime disserit *Boeclerus*, Rectius igitur huic substituisset *Αἰσυμνήτην*. Cœterum cum Reges ejusmodi temporales, h.e. vel ad certum aliquod tempus, vel negocii alicujus expediundi causa constitutos, hodie non agnoscat Europa, frustra de illis hic verba fiunt.

XXX.

Nobis, utut omnia hæc Grotiana suis haud carere dubiis videantur, in duplici nihilominus ordine Reges collocabuntur; quorum alii pleno proprietatis (ut formulas Grotianas retineamus) alii usufructuario duntaxat jure regna possident. Ab hisce, qui proximum à temporariis, si qui sunt, locum tenent, auspicium ducemus. Usufructuarii dicuntur Reges, *qui regnum, quod aut populi est, aut qui sunt in illo Populo, Procerum, sive plenum illud fuerit, sive pleno minus,*

nus, ex illorum, quorum proprietas est, voluntate, minus plene, seu citra jus alienandi, possident. Usufructuariorum nomen exinde tenent, quod insignis intercedat ejusmodi Regibus cum usufructuario affinitas, de qua dictum memini, sed paucis, adversus *Auberium Advocatum Parisiensem part.* 1. *c.* 6. §. 5. Uterque jus aliquod in re aliena habet, & pares hactenus videntur; sed in eo dissimilis est conditio, quod usufructuarii privati jus cum vita exspiret, neque ad prolem quicquam transmittatur; Regum verò jus usufructuarium modo personale sit, & cum vita simul intercidat; modo familiæ cohæreat, quâ vel quoad mares solos, vel quoad omnes, tam fœminas, illarumque descendentes etiam, quam quoad mares, prorsus exstincta, jus illud utile (sic vocabimus) ad Proceres aut populum demum revertatur. Exemplis, si liceret evagari, res fieret clarissima. Illud non de nihilo quibusdam in dubium vocatur, quod *c. a. c. n.* 11. *Grotius* ait, Reges, tam qui primi eliguntur, quam qui electis legitimo ordine succedunt, jure duntaxat usufructuario regnum possidere. Enimvero, quemadmodum neque successio neque electio in se spectatæ tituli sunt imperii, qui certam imperio formam assignent, aut quicquam per se demant vel addant illimitatæ potestatis regnantibus; ita jus usufructuarium neutri, ut necessarium accidens aliquod semper est conjunctum. Omnia dependent à voluntate conferentium expressa, & à formulâ, quâ traditur imperium illi, qui primus eligitur, in cujus, uti locum, ita jura quoque, nî aliter convenerit, posteri succedunt.

XXXI.

Usufructuariis hisce, de quibus diximus, aliud opponit Regum genus, Grotius noster, qui pleno proprietatis jure habent imperium, seu, quod eodem recidit, regnum habent in patrimonio. Tales ex mente quidem illius sunt, *qui bello victores imperium quæsiverunt, aut in quorum ditionem populus aliquis, mali majoris vitandi causa, ita sese dedidit, ut nihil exciperetur.* Noti sunt effectus bellorum; in quibus principatum facile tenet dominii acquisitio, unde & occupatio per bellum, inter modos acquirendi naturales refertur à JCtis Romanis, cum quibus & ipse facere videtur *Aristoteles* 1. *Pol. c.* 5. si quidem verosimile est, quod interpretum nonnullis placet, ληςείας vocem tam late accipi Philosopho, ut & bellum includat, eo quod

bello

bello non sint usi aliter Græci, ad capiendos barbaros, quam plagis suis ad occupandas feras, utitur venator. Circa hanc imperii per bellum acquisitionem, notari diligenter meretur; nec semper, nec indistincte Regi, sed modo huic, modo ipsi populo, per bellum acquiri, prout vel Regis, vel populi auspiciis ac sumptibus, bellum fuit gestum.

XXXII.

Alter modus, quo sponte suæ impulsu alteri se regendum sine exceptione populus aliquis permittit, nihil habet difficultatis apud illos, qui libertatem, publicam quoque illam, ac integri alicujus populi, libere alienari, in alium, vel unum, vel uno plures, transferri posse, veritatis convicti viribus habent persuasum. Illud scrupulum injicit, qui fieri possit, ut quædam imperia non summa, plene nihilominus habeantur: & fatendum sane, laqueos sibi ipsi tendere videri *Grotium*, quando pleno proprietatis jure, regna habere dicit illos, qui aut jure belli, aut sine exceptione, per consensum populi, imperium tenent. Hos vero utrosque summum in suos imperium habere, nemo temere erit, qui eat inficias. In victos imperium ex arbitrio victoris, qui leges dat, non accipit, dependet: in illos, qui sine exceptione, alterius se imperio permiserunt, quin absolutum jus competat imperanti, dubium esse non potest.

XXXIII.

Hactenus dicta si solide intelligantur, eò proficiunt, ut controversiis ac quæstionibus illis, quæ de adhibendo procerum aut populi consensu, quem in hisce confraternitatis pactis non omittendum, nimis indistincte, & illimitate censet *Guttich. th.* 7. *lit. c.* tum præterea, an & quibus Principibus liceat hoc modo pacisci, solent aliàs agitari, rectius dijudicandis viam præmuniant. Omissis igitur illis, quos jure temporario regnantes facit *H. Grotius*, de his, qui pleno dominii jure regna tenent, primo loco dicemus. Hi vero, quo minus hoc confraternitatis pactum, non requisito Procerum aut populi consensu, cum aliis ineant, nihil esse videtur hactenus obstaculo. Neque, de illo ut dubitemus, dominii natura & conditio permittit. Sed & de regnis testati nonnunquam tales leguntur. Nota sunt Attali Pergameni, Nicomedis Bithynici, & Appionis Cyrenaici, è veteris historiæ monumentis exempla, qualibus nec omnino recentiora tem-

crediderim destitui. Si itaque permissum est illis alienare, quin hoc etiam modo de regnis constituant, quis impediet? Nec enim dubito, nimis indistincte pronunciasse *Lucam de Penna in l. quicunque col. 3. C. de Agric. & cens. Principem habere se erga bona & jura regni, sicut maritus erga dotem uxoris.* Quæ Philosophia, licet fori crepitaculis, & præsertim Gallicanis mire arrideat, minus tamen est ad palatum doctioribus civilis prudentiæ Consultis.

XXXIV.

Tales verò Reges an hodierno tempore veneretur Europa, inquirere, invisum fuerit problema; nec facile ferunt Reges Principesque, ut de jure suo, & quantum sibi liceat, privati disceptent. Galli, quanquam de illimitata Regis sui potestate mire paratragœdiantur, domesticæque servitutis carmina peregrinis occentant, hanc tamen è coronæ bonis quicquam alienandi facultatem Principi non concedunt, de quo vide ineptientem *Auberium des Justes pretens. l. 1. c. 3.* Ex quibus apparet, summum quidem in suos Imperium, sed non plene, ut *Grotius* loquitur, habere Regem Francorum. An sub Carolinis quoque res sic habuerit, dubitari non inepte posset, præsertim cum & Carolus M. & Ludovicus Pius, de regnis testati scribantur; nisi cum *Grotio* velis excipere, *testationem hanc commendationis magis vim apud populum habuisse, quam veræ alienationis.* Adde quæ nos *contra eund. Auber. part. 1. c. 3. §. 9.* annotamus. Hoc interim certum est, qui regnum habent in patrimonio, Regibus illud alienandi jus posse nequaquam denegari: nam quod de temperamento illo, quo subditorum consensum nihilominus adhiberi melius sit, nonnulli dicunt, consilii magis est quam præcepti, neque huc vere pertinet.

XXXV.

Ast aliter longe fuerit pronunciandum, si de usufructuariis sermo sit; hi enim, quia nihil verè suum possident, quod ususfructus docet conditio, nihil ex bonis illis alienare, neque de alienis disponere, citra Procerum aut populi consensum possunt. Et illos quidem, quorum personalis tantummodo est electio, & quorum jus omne cum vita simul exspirat, ut nec descendentibus, nedum agnatis, quicquam debeatur, quia post mortem demum effectum pactio habet, ab eâdem prorsus excludi constat. Quando autem certæ familiæ regnum jure usufructuariò traditum est, si Procerum aut populi consensus accedat,

pactio-

pactioni locum fieri posse, dubitandum non est. Et tum si casum conventione expressum evenire contingat, populo ipsi, non quæ in populo illo imperium tenet, familiæ Regiæ regnum acquiritur. Sed quia sane rarius evenit, ut Reges tale confraternitatis inter se pactum ineant; nobis hic etiam tanto licebit esse brevioribus.

XXXVI.

Notandum porro circa Reges illos est, triplex bonorum genus, in regnis præsertim usufructuariis inveniri; quædam bona Coronæ immobilia dicuntur, quæ sunt Principis, quâ talis, & publica, nec aliter tamen ad Principem pertinent, quam qt. ille corporis istius moralis, quod civitatem dicimus, caput repræsentat. Alia Regis constituunt Domanium, suntque fiscalia illa jura ac prædia, Principi à populo aut Proceribus assignata, è quorum proventibus annuis, quos suos facit, dignitatem suam melius Princeps tueatur; *vide Hotom. Francog. c. 9. Choppin. de Domanio Limn. N.R F. l. 2. c. 8. Besold. de Regal. c. 9. §. 1. Auber. l. 1. c. 3.* Quædam denique sunt res Principum patrimoniales, quas neque intuitu regni, neque à regno possident, sed, vel ante adeptam dignitatem regiam, jam tum tenebant; vel postea legitime acquisiverunt. Priora duo bonorum genera Rex usufructuarius neque alienare, neque de illis disponere potest; quoad posteriora res secus habet, quicquid in contrarium ineptissime moliatur *Auberius des just. pretens. l. 1. c. 2.* qui bona hæc, per aditionem regni, cum bonis coronæ confundi, frigidis aliquot usus similibus, contendit.

XXXVII.

De imperantibus in statu unius actum hactenus est. Diximus suprà, uno fieri casu posse, ut, qui Rempubl. polyarchicam habent in manu, cum finitimo populo, aut qui in illo jus imperii habet, pactum confraternitatis inire possint, nimirum si in Aristocratico aut Oligarchico statu, penes unius familiæ paucos homines alienabiliter sit imperium. Hic enim, quia contingere potest, ut ista familia, quæ Remp. hoc modo possidet, aliquando emoriatur, nihil obstat, quo minus pactum hoc possit aliquem habere effectum. Talis Oligarchiæ, vetus Corinthiorum respublica nobis exhibet exemplum, quæ regio Sisyphi stemmate exstincto, cum sub Herculis posteris, qui à Bacchide, Prumnidis filio, Bachiadæ dicebantur, more regio fuis-

ſet adminiſtrata, tandem poſt interitum Toleſis, regimen unius forma Oligarchica commutavit, ita ut penes iſtos Bacchiadas eſſet imperium, iique ex ſuo ordine præſides Reipubl. qui Prytanes audiebant, ad usque Cypſelidarum tyrannidem daret, uti *ex Herodoto & Pauſania* tradit *Ubbo Emmius in deſcript. Reipubl. Corinthiacæ.*

XXXVIII.

Sequuntur porro perſonæ, quarum poteſt intereſſe, qvo magis minusve pactum tale fiat. Has vero duplicis ordinis deprehendo: quarundam, juris in re quæſiti ratione, intereſt; ſunt aliæ, quarum res agitur, ob aliquod inde olim proventurum vel commodum vel incommodum. Illi ſunt necesſitudine quadam conjuncti, quæ cum ſit alia ſanguinis, & alia matrimonii, illa tantum præſentis eſt negocii. Quæ ſanguinis dicitur, vel deſcendentium eſt, vel à latere venientium. Illorum prima eſt cauſa; licet quoad ſexum nonnullibi differentiam, jus, quod eſt ſingulorum populorum, conſtituat. Eſt, ubi pari cum maſculis jure, quoad ſucceſſiones legitimas, cenſentur fœminæ; eſt, ubi à ſuccesſione in res immobiles prorſus excluduntur. Nonnullibi ad res illas immobiles, non niſi maſculis deficientibus, ſolæ admittuntur, quæ Græcis dicuntur ἐπίκληροι. alicubi denique illis excluſis præferuntur agnati. Quæ quidem à lege civili eſſe omnia, vix dubitaverit eruditus; re in nudis naturæ juris terminis ſpectata, aliud obtinet. Sed & illud fuerit obſervandum; cum ſucceſſionibus hominum privatorum aliter multo rem eſſe comparatam, deque illis aliud ſtatuendum, quam ſi de Regũ & Principũ ſuccesſione, quæſtio agitetur; de quo negocio late diſſerere inſtituti fines excedit. De jure liberorum ſuperius actum; tantum de fœminis hic ut breviter dicamus, reſtat.

XXXIX.

Duplicem regnorum (ſive ſucceſſiva illa fuerint, ſive hereditaria) ſucceſſionem dari, alteram agnaticam, cognaticam alteram, teſtantur hiſtoriæ, tam veteres, quam recentiores. Primum ſuccesſionis, quam *linealem agnaticam*, & *juris Francici* vocat *Grotius de I. B. l.2.c.8. n.23.* genus, in florentiſſimo Francorum regno ſervatur, quam lege Salica primitus introductam, Franci gloriantur; de cujus aſſerti verita-

veritate tamen haud de nihilo liceat dubitare, quam sibi persuaderi ægerrime passa est Johanna Ludovici Hutini filia, quæ patruo Philippo litem de regno movit, nec ipsis illud negantibus Francogallis. Cognatica se dupliciter habet; aut enim fœminas admittit, exstantibus adhuc aliis ejusdem stirpis agnatis, ita ut filia primogeniti præferatur patruo: aut non nisi in deficientium agnatorum casum fœminis addicit successionem. Talis cognatica successio quondam fuit apud Aragonios, quæ proximioribus aliis masculis non existentibus, teste *Mariana*, patruum filiæ Regis præferebat. Ex quibus, ut hoc objter adjciam, apparet, frustraneum jus aliquod in Aragoniam, Gallos Andegavenses, ob Jolantam Petri IV. filiam, Ludovico Ludovici Andegavensis filio nuptam, prætendisse. In regnis, ubi agnaticæ successioni tantummodo locus relinquitur, cum fœminis nihil debeatur, neque jus aliquod in regni bonis habeant quæsitum, quominus ejusmodi confraternitates, in familiæ quoad mares exstinctæ casum, libere ineantur, nihil est impedimento. Secus vero res habet, si fœminas etiam certis casibus ad regni successionem leges admittant; tunc enim pacta hæc successoria, nisi familia quoad omnes, etiam fœminas, emortua, non valebunt. Quæ fœminarum circa successiones, in rebuspubl. pro differente illarum conditione, debeat esse ratio, multis edisserere præsentis non est instituti. Sufficiat hic indice quasi digito ostendisse, non naturalem aliquam, sed civilem tantum rationem velle, ut quoad successiones illas, in bona præsertim immobilia, deterioris alicubi sit conditionis sequior sexus; de quo argumento prolixius, dissertatione posteriore tractabitur.

XL.

Illa autem, quam modo diximus, ratio civilis, cum neque jura cognationis naturalis tollere, neque, quin liberorum censu filiæ veniant, efficere vere possit; hinc fœminis superstitibus certa quædam portio in pecunia numerata, aliisque bonis mobilibus ut plurimum consistens, relinquenda est, ex qua dignitatem tueri, & pro personarum conditione, digne possint elocari. Cujus quantitatem nisi partium consensu expresso statutam, pacti successorii formula contineat, personæ dignitas ac conditio facile definiet. Hanc summam ex pacto succedentes exsolvere tenentur; est enim hæc universitatis bonorum

natu-

natura, ut & commoda & incommoda habeat conjuncta, facit *lex 1. ff. de bon. poss.* Accedit præterea, quod res cum suo onere transeat, neque plus juris prætendere successores in ejusmodi bonis possunt, quam defuncti possessores habuerunt, qui ad dotem hanc, fœminis pro personarum ac generis conditione dandam, non civili duntaxat, sed naturali etiam jure fuerunt obstricti. Qvî fieri igitur potest, ut ab onere isthoc sint eximii successores?

XLI.

A fœminis priusquam abeamus, verbo videtur adhuc monendum, quod de feudo fœminino, h.e. à fœmina primum acquisito (illud enim proprie fœmineum dici notum est) deque bonis allodialibus, quorum & superstites fœminæ sunt capaces, *an nimirum pacta hæc successoria, de illis etiam, in præjudicium ipsarum fœminarum fieri possint?* nonnulli movent, tantæ non esse difficultatis, quin ex illis, quæ de jure, in alterius bonis alteri quæsito, supra dixi, facili negocio possint expediri. Nec opus est, ut cum *Betsio de pact. c. 4. p. 84.* inter feuda fœminea à fœminis descendentia, & feuda à masculis quidem acquisita, ita tamen ut etiam fœminæ sint illorum participes, distinguamus. Non attento hoc fœminarum præjudicio, pacta confraternitatis de feudis ejusmodi fieri posse, modo fœminæ paciscentium existant heredes, *accipiendo nimirum certam pecuniæ summam, ipsis in pacto destinatam, quæ hoc in casu vicem legitimæ præsentare videatur*, verius sibi videri dicit *Guttich. th. 5. lit. b.* cui sententiæ quo minus accedam, inter alias, quas adducere liceret, rationes, hæc cum primis obstat, quod quoad jus illud quæsitum, nemini sine facto suo auferendum, discrimen inter mares & fœminas nullum omninò ponat Jus Naturæ. Neque magis huc spectat, quod de legitima relicta affert idem; quamvis enim ipso naturæ jure liberis hæc adeo debeatur, ut quoad alimenta necessaria legibus humanis tolli nequaquam possit, *Grot. de I.B. l. 2. c. 7. §. 4.* exinde tamen non conficitur, hâc relicta, de cœteris bonis posse pro lubitu disponi. Nam quod de querela inofficiosi per legitimam sublata JCtis scribitur, dubium non est, quin civilis Romanorum juris sapiat rigorem. Non igitur tutius solum est, & æquitati magis consentaneum, ut idem *Guttich.* loquitur, *si etiam ad investituræ hujus mutationem, fœminarum*

rum

rum quoque tempore initæ conventionis existentium, consensus requiratur; sed omninò necessarium, & nequaquam prætermittendum.

XLII.

Proximum post descendentes (de ascendentibus enim, illorumque successione, non opus est, ut hic agamus) locum occupant à latere venientes; quos in agnatos & cognatos distingui, pervulgatum est. Horum utrorumq; successio, licet eodem fere, quo descendentium, fundamento, probabili scil. voluntatis defuncti conjectura, nitatur, minus attamen expedita est, sive dictam modo voluntatis, quondam domini, conjecturam, sive discrepantes hac in parte civiles singulorum populorum leges attendas. Etenim verissimum est, quod dicit *Grotius de I.B.l.2.c.7 §.9. ubi desunt liberi, quibus naturaliter deferatur successio, minus esse rem expeditam, nec ulla in parte magis variare leges.* In nonnullis civitatibus, pari cum agnatis jure, salvo tamen proximiore gradu, censentur cognati: nonnullibi jus successionis ab intestato nullum competit cognatis, sed soli, post descendentes, agnati admittuntur. Sic olim in Republ. Romana ex lege XII. Tabb. decemvirali, exclusis cognatis, soli succedebant agnati; quo ipso familiarum propagationi ac dignitati fuit haud dubie consultum. Unde hauserint Romani, non latet eruditos; simile quid alibi quoque fuit observatum. Ne nunc dicam, quod ad remotiores alicubi gradus hæc successio extendatur.

XLIII.

Ista vero, quæ in legibus singulorum populorum, quoad successionem hanc, à latere venientium, reperitur varietas, ex duobus præcipue fontibus videtur emanasse. Primum facio, minus evidentem, circa collateralium successionem, defuncti voluntatis conjecturam; quæ quemadmodum quoad descendentes, naturali magis ratione, propter naturæ quam maxime congruentem parentum in liberos benivolentiam, perpetuo certa est; ita si de propinquis, & necessitudine attinentibus aliis, incidat quæstio, non pauca occurrunt, quæ præsumptam hanc voluntatis conjecturam haud leviter interdum convellant. Sunt amici, sunt, qui beneficiis quam plurimis nos reddiderunt suos, quosque magis proinde quam propinquos istos, parum de nobis ut plurimum sollicitos, amamus, ne dicam, amare fas est. Hic si præsumptæ, sed morte interceptæ defunctorum

D volun-

voluntates aliquod habere momentum deberent, potius illis, quam his, hereditates essent addicendæ. Et hæc quidem, ut opinor, difficilis voluntatum, quoad collaterales præsertim, conjectura, liberiorem illam, non legandi modo, sed de bonis omnibus testandi licentiam in civitates nonnullas introduxisse primitùs videtur.

XLIV.

Alter legum circa collateralium successionem variantium fons, est diversus ille diversarum rerumpub. genius, qui non permittit, ut, capiendarum ab intestato hereditatum, similis sit in quavis civitate ratio. Atqui hinc fieri videmus, ut in nonnullis quidem Rebuspubl. masculi, & ex illis descendentes, fœminis illarumque progenie potiora ferant; alibi nullo sexus attento discrimine, pari omnes ordine habeantur; de quo pluribus hic differere, proximæ dissertationis argumentum foret occupare. Cœteroquin de legitimæ collateralium successionis fundamento plura qui desiderat, *Grotium c. a. l.* adeat, quem erudita profectò in hoc argumento industria fuisse versatum, nemo, nisi aut indoctus, aut improbus, diffitebitur.

XLV.

Ad negocium nunc erunt dicta hactenus applicanda. Quoniam igitur, si quid, circa successiones illas collateralium legitimas, lege aliquâ civili cautùm fuerit, id observari, jus naturæ dictitat; exinde sane apparet, si quando jus aliquod in spe succedendi certa fundatum habent à latere venientes, illorum consensum, in constituendo confraternitatis pacto, non utilem duntaxat, ad lites forte præcavendas, esse, sed omninò etiam ac necessariò requiri. Neque aliter hactenus judicarunt gentes Europææ, in quibus domicilium juri confraternitatis est permissum. Suadet idem ratio naturalis, quæ jubet ita pacisci, ne pactum alterius alteri præjudicet, neve iniqua conditio, citra meritum præcedens, inferatur. Præcipit porro civilis utilitas, in quiete & tranquillitate, non in tumultibus ac bellis, societatis civilis vinculum dissolventibus, omnesque roboris ac virium Reipubl. nervos incidentibus, collocata. Ipse denique præcipuus pacti successorii scopus, successio videlicet, in demortuæ familiæ bona, id exigere quodam modo possit videri, ut illorum, quorum interest quovis modo, consensus adhibeatur. Quia enim pleræque Principum familiæ pluribus inter se lineis sunt discretæ, facile poterit contingere, ut

paci-

paciſcens linea, quoad maſculos, emoriatur: quo caſu ſi ad iſtius familiæ lineam alteram, pacto non incluſam, ut fieri fas eſt, ſucceſsio, non obſtante pacto hoc, devolvatur, omnis pacti vis corruet; quippe cui ſuccedens illa agnatorum linea non conſenſit, nec ad illud ſervandum proinde eſt obligata. Secus verò quin res habeat, quoad conſenſum illum, ſi aut pacto, aut moribus, aut legibus civitatis, aut ob feudum noviter quæſitum *l.1. Feud. tit. 1. §. 2. & tit. 14. in fin.* nihil agnatis debeatur, dubium eſſe non poteſt.

XLVI.

Ordo nos jam vocat ad illas perſonas, quarum rem agi ſupra diximus, ab aliquod inde proventurum, vel commodum, vel incommodum. Subditos intelligo, quorum ut intereſt, ne aut in certæ ſpei, aut ignotis dominis relinquantur; ita, ne cuivis Principi aut Domino ſubjiciantur, vel cum primis intereſſe certum eſt. Multis poterat hic de differente ſubditorum conditione, pro diverſo Reipubl. ſtatu, de imperio quorundam Principum deſpotico, morum, legum ac religionis diverſitate, unde non minimum ſubditis incommodum ſœpius enaſcitur, diſſeri; denique an Reges & Principes, quibus parentium ſalus ac commodum ſuprema lex eſſe debet, cum diverſæ religionis Principibus, & tyrannico in ſuos imperio graſſari ſolitis, pacta talia poſſint inire, & confraternitatem paciſci? Cœterum quia hæc omnia politici ſunt examinis, ultimæ diſſertationis argumento cum aliis reſervantur. Illud huc pertinet inquirere; *an Principi liceat, ſubditis invitis, cum Principe tali, ſub cujus dominio deterior fortuna ſubditis metuenda, pactum confraternitatis inire?* Non uno hic modo videtur diſtingvendum, tum inter Reges ipſos; tum inter illud, quod exterius licet, adeoque impune fit, & quod à recti regula exorbitat, ſive in juſticia interna, ſtrictoque jure, poſitum ſit illud, ſive latiora æquitatis ac officiorum ſpacia ingrediatur. Qui regnum aut principatum in bonis ac patrimonio habent, ſi naturam dominii nude ac in ſe ſpectes, quo minus, inconſultis, quinimo nolentibus ſubditis, cum quovis alio Principe hoc modo paciſcantur, nihil eſt hactenus obſtaculo. Neque huic paciſcendi facultati officit, quod liberi homines, quales ſunt utique, qui civili imperio, etiam regio, parent, non eſſe dicuntur in commercio; neque enim de hominibus, ſed perpetuo homines illos regendi jure, quod in commercio eſſe, nemo

 faci-

facile negabit, pactum concipitur: adde *Grot. de I.B. l. 1. cap. 3. §. 12.* Secus vero rem habere cum Regibus ac Principibus illis, qui jure non pleno regnant, ipsa juris hujus ostendit natura.

XLVII.

Quoad hunc paciscendi actum notanda ulterius insignis illa verbi *licere* laxitas. Nonnunquam vox hæc ita usurpatur, ut illud, quod pium rectumque est, adeoque divino ac humano jure permissum, denotet, etiamsi forte aliud fieri possit sanctius & excellentius, aut certe cum majore apud bonos laude. Cujus exempla *Grotius de I.B. l. 3. c. 4. §. 2.* ponit matrimonium contrahere, repetere nuptias. *Sic licet*, inquit, *matrimonium contrahere, sed laudabilior est ex pio proposito cælebs castitas, ut ad Pollentium ex eodem Apostolo* (Paulum innuit) *differit Augustinus. Repetere quoque nuptias licet, sed laudabilius est, uno contentum esse matrimonio, &c.* Prius exemplum bene vel secus an habeat, nunc non disputo. Posterius etiam tale est, ut suis dubiis haud omninò carere videatur. Propius ad rem fortasse facit levioris injuriæ condonatio, quam judicio legitime persequi licebat. Deinde licere dicuntur & illa, quæ, quamvis in officiorum, ac pietatis regulas impingant, apud homines tamen habent impunitatem, vel quod lex aliqua civilis suam ipsis autoritatem accommodet, quam juris licentiam forte non inconcinne dixeris: ad quorum censum refero scortationes, latrocinia, furta, nonnullis olim gentibus usitata ac permissa. Vel quod voluntario societatis jure teneri, aut forum sortiri inter homines, se negent, qui in illa societate sunt imperantes, & in quos proinde judicia cum effectu nequeunt exerceri. Quæ meri est facti licentia. Hoc modo Regibus & Principibus omnia dicuntur licere, quia sunt ἀνυπεύθυνοι, quod novercæ asserenti noluit credere pessimus Imperatorum Caracalla. Hinc etiam fit, ut τὸ ἐξόν, & τὸ καθῆκον, id *quod licet*, & *quod decet, ac fieri fas est*, sæpe scriptoribus opponantur. Pulchre *Claudian. 4. Hon. Consulatu.*

Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit,
Occurrat, mentemque domet, respectus honesti.

Adde *Grot. c. a. l.*

XLVIII.

Hoc poſteriore ſignificatu, quin liceat principi, qui regnum habet in patrimonio, cum extero alio, confraternitatis inire pactum, etiamſi in ſubditorum ſuorum detrimentum vergere intelligat, dubitari vix poſſe crediderim. Verum longe fuerit aliter ſtatuendum, ſi non tam, quid hoc caſu liceat, quam, quid fieri fas ſit, bonique Principis officio conveniat, altius inſpicias. Si liberet excurrere, de Imperantium & parentium mutua, & ad commune ſocietatis commodum ſpectante obligatione, pluribus hic poſſet agi; quæ, licet in Principe quidem, præſertim ſi is παμβασιλεὺς ſit, dicatur imperfecta, propterea quod nullum, ut aliqui volunt, detur inter homines forum, in quo Princeps poſſit à ſubditis conveniri; tamen in foro conſcientiæ, ut nunc loquuntur, ſatis eſt efficax, neque, ſi Princeps officii fines erga ſubditos data opera negligat, quin Deum graviter offendat, legesque naturæ violet, quisquam dubitabit. Sufficiant hæc de jure Naturæ.

XLIX.

Voluntarium, quod fecimus, jus, tempus nunc eſt aggredi; de cujus prima ac nobiliore ſpecie, Divino ſcilicet, prius eſt dicendum. Non una eſt juris Divini apud Scriptores acceptio; quidam ita late ſumunt, ut omne, quod Deum habet autorem, jus comprehendat. Sic non nemo legem dividit in divinam ac humanam. Divinam porro in eam, quam Naturæ Deus inſcripſit, & eam, quam ſpeciali patefactione (ſic loquitur) promulgavit, ſubdividit. Alius Divinam, ratione promulgationis, in naturalem ſeu generalem, & poſitivam ſeu peculiarem diſpeſcit. Neutrum, ſi quid mei eſt judicii, ſatis commode. Licet enim jus illud, quod naturale vulgo vocamus, ſi quidem primam illius ſpectes originem, quæ à Deo eſt, divinum quoque poſſit appellari, quod & *Grotius* aſſerit *in Proleg. & l. 1. c. 1. §. 15. de I. B. & P.* diverſam tamen à Divino (quale nos intelligimus) ſpeciem conſtituit, ac unâ pluribus ab illo notis diſtinguitur, de quibus fuſe ut agamus, hujus forte loci non eſt. Nobis igitur hic jus Divinum illud eſt, quod non à natura ejus, quod vel præcipitur, vel prohibetur, ſed à voluntate divina, & ortum & obligandi vim omnem trahit, & ſacroſancto Fœderis utriusque Codice continetur. Spectat autem vel cultum divinum, ejusque peculiares aliquos ritus, in populo Dei, certis de

de caussis, observandos; vel politiam & quæ huc præterea pertinent; vel res denique singulorum in civitate viventium, privatas, quibus & hereditates omninò veniunt accensendæ.

L.

An igitur & qt. juri divino voluntario vel conveniens sit, vel eidem repugnet confraternitatis pactum, evidentius ut constet, duo prius erunt, sed paucis tantummodo, ac, ut ita dicam, in transitu veluti, perquirenda. Primum est; *quomodo successiones, apud Ebræos, fuerint olim, jure hoc divino voluntario constituta?* Alterum; *quodnam dominis in bona sua jus fuerit*, &, *an alienandi liberam habuerint facultatem?* Non opus est autem, ad recutitæ gentis Magistros, aut qui ex illis collegerunt, in hoc negocio, nos quidem ut recurramus; E sacro Codice hauriendum est, quod Dei Legislatoris voluntati vere consentaneum dicatur. Duplicis apud Ebræos generis successionem facit I. *Seldenus de Successión. ad leges Ebræor. l.1.c.1. alteram in bona; alteram in dignitates, Regiam & Pontificiam.* Ejus, quæ est in bona, *universam quidem materiem cerni*, ait, *in differentia quintuplici. In successione liberorum, seu rectà descendentium; patris, unde omnis successio à latere pendet; fratris, qui fratriam viduam ex lege duxerit; mariti, seu unde vir; ac fisci: neque ullam*, vult, *omninò esse in bona successionis speciem, de quâ, ex bisce rite cognitis, non facile sit dijudicare.* Singulas dein species, pluribus capitibus, per totum fere librum latius exsequitur. In gente Israëlitica antiqua, quænam debuerit, ex instituto Dei, succedendi esse ratio *Numeror.27.vers.8. & seqq.* occasione filiarum Zelophchadi, breviter & eleganter exponitur. Qui locus docet, successionem apud Ebræos omnem, aut in bona, saltem immobilia, terræ promissionis (de illis enim quærebatur) legitimam fuisse, ad eamque vocatos primo descendentes; hoc insigni sed tamen discrimine observato, ut post filios demum, & illorum progeniem, quod eleganter *ex Mischna tit. Baba Bathra c.8.* ostendit *c.a.c.1 Seldenus*, filiæ admitterentur. Quod si nullam omninò prolem defunctus reliquisset, agnatis juxta proximitatem gradus, ex lege successio deferebatur. Primus ordo fratrum fuit; hos exceperunt patris fratres: ita enim LXX. Interpp. originali textui inhærentes, reddiderunt. Ἐὰν δὲ μὴ ὦσιν αὐτῷ ἀδελφοὶ, δώσετε τὴν κληρονομίαν αὐτοῦ τῷ ἀδελφῷ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ. Post patruos admis-

admisſi proximiores agnati quicunque; Ἐὰν δὲ μὴ ὦσιν ἀδελφοὶ, dicunt iidem, τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, δώσετε τὴν κληρονομίαν αὐτοῦ τῷ οἰκείῳ τῷ ἔγγιστα αὐτοῦ ἐκ τῆς φυλῆς αὐτοῦ.

LI.

Ex hiſce apparet, duplicem fuiſſe antiquitus, in populo iſto ſucceſſionem; primam quidem deſcendentium; alteram agnatorum, quos, excluſis cognatis, ſolos, poſt deſcendentes, hereditatem creviſſe, locus hic indicio eſt. Duabus iſtis ſucceſſionum ſpeciebus, deſcendentium videlicet, ac à latere venientium agnatorum, tertiam ſed intermediam addunt nonnulli, nimirum aſcendentium, patris ac avi, & ſic deinceps. Nullam apud *Moyſen, laudato antea capite*, neque patris, neque aſcendentium aliorum, ad quos, à liberis, hereditas ac bona, devolvantur, fieri mentionem expreſſam, certisſimum eſt; ſequitur ergò, hanc aſcendentium ſucceſſionem non ex ipſa lege ſacra, ſed gentis iſtius magiſtrorum interpretatione, potius deſcendere; Cur autem patris nomen fuerit omiſſum, *audere aliquos rationem afferre*, dicit *Seldenus c.* 12. citat *R. Bechaium ad h. l. fol.* 193. *col.* 2. & *Philon. de vita Moyſis l* 3. cujus poſterioris verba elegantem continent rationem, cur patres in hâc ſucceſſione, neque potuerint omninò neque debuerint omitti. Verba ex ipſo *Philone*, plenius paulò recitata ſic habent: Μετὰ δὲ θυγατέρας, τρίτους ἀδελφοὺς καλεῖ, καὶ τετάρτην δὲ θείοις πρὸς πατρὸς ἀπονέμει τάξιν αἰνιττόμενος ὅτι καὶ πατρὸς (rectius πατέρες alii ſubſtituunt) γένοιντ' ἂν υἱῶν κληρονόμοι. Πάνυ γὰρ εὔηθες, ὑπολαβεῖν, ὅτι πατρὸς ἀδελφῷ νέμων κλῆρον ἀδελφιδοῦ, διὰ τὴν πρὸς τὸν πατέρα συγγένειαν, αὐτὸν ἀφείλετο, τὸν πατέρα τῆς διαδοχῆς. Ἀλλ' ἐπειδὴ ὁ νόμος φύσεώς ἐστι, κληρονομεῖσθαι τοὺς γονεῖς ὑπὸ παίδων, ἀλλὰ μὴ τούτους κληρονομεῖν, τὸ μὲν ἀπευκλαῖον καὶ παλίμφημον ἡσύχασεν, ἵνα μὴ πατὴρ καὶ μήτηρ προσοδεύεσθαι δοκῶσι τὰ ἀπὸ ὠκυμόροις τέκνοις ἀπαρηγόρητα πένθη; πλαγίως δ' αὐτοὺς ἐκάλεσε τοῖς θείοις ἐφιεὶς, ἵνα καὶ ἀμφοτέρως στοχάσηται, καὶ τοῦ πρέποντος, καὶ τοῦ μὴ τὴν οὐσίαν ἀλλοτριωθῆναι. Μετὰ δὲ θείους, πέμπτη τάξις ἐστὶν οἱ ἔγγιστα γένους, ὧν ἀεὶ τοῖς πρώτοις δίδωσι τοὺς κλήρους.

Patres

Patres igitur fratribus haud dubie fuere prælati, unico duntaxat excepto casu, si fratris defuncti viduam ducere, fratrique nomen suscitare, ἀναςῆσαι τὸ ὄνομα τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ, vellet. Hæc de successionibus, apud Ebræos, pauca præsenti negocio sufficiunt; plura vide apud *Seldenum c. l.* cum primis vero *c.* 13. in quo *omnigena* (sic loquitur) successionis, quæ ex jure sanguinis pendet, exemplum proponit; nos enim filum heic abrumpimus, & quæ de toto hoc successionis negocio latius differi poterant, tanquam instituto parum profutura, & ne nimis excrescat dissertatio, consulto omittimus.

LII.

De jure, dominis in bona sua competente, pauca, restat, ut proferamus. Legitimi & ab ipso Deo injuncti belli jure, optimo sane dominii acquirendi titulo, quæsitam, perque tribus undecim sorte distributam postea populo Israelitico terram sanctam, sacra testis est historia. Bellum vero istud, uti totius populi fuit auspiciis gestum, ita non ejusdem Ducibus aut Principibus, sed ipsi populo, ejusque imperio, & jure quidem plenissimo, capta bello cesserunt. Hæc enim belli natura est, ut per illud occupata & acquisita, non deminuto aut restricto, sed absoluto capientium arbitrio subjiciantur. Ex quibus in promptu poterat videri colligere, plenam, & quoad omnes illos, in quibus dominii sese effectus exserunt, actus perfectam, circa res suas, tribuendam dominis in populo Israelitico facultatem. Cœterum cum divinitus constitutæ istius Reipubl. supremum & Legislatorem & Præsidem se gesserit Deus Opt. Max., cujus in gerendo bello ductum & auspicia sunt secuti, & sub cujus tutelari Numine formidabiles hostium turmas devicerunt Israelitæ; quantum in bona ista, cumprimis vero, quæ soli aut immobilia dicuntur, juris concedere dominis istis Deus voluerit, è sacro legum Codice est eruendum. Elegans hanc in rem locus est *Levit. c.* 25. *v.* 23. quem è versione *LXX. Interpp.* huc apponere placet: Καὶ ἡ γῆ, inquit DEUS, οὐ πραθήσεται εἰς βεβαίωσιν, ἐμὴ γάρ ἐστιν ἡ γῆ, διότι προσήλυτοι καὶ πάροικοι ὑμεῖς ἐστὲ ἐναντίον ἐμοῦ. Quæ verba penitius inspecta duo nos docent: Primum est; non tam proprietarios, quam Dei colonos potius ac velut Emphyteutas fuisse Israelitas. Alterum, quod per pronam tamen consequentiæ viam è primo deducitur, nihil eos bo-

norum

norum suorum vere potuisse alienare. Vere inquam; quia sub redemptionis lege & conditione fieri venditionem oportebat. Quinimò cum duæ sint partes dominii, ut loquuntur, constitutivæ, proprietas videlicet, ac ususfructus, hunc verius quam illam, emptori concessum fuisse, non inepte quis existimaret.

LIII.

Notandum cumprimis attamen hic venit, inter bona mobilia & immobilia, quoad hanc alienandi facultatem, discrimen insigne. Bona mobilia, illa præcipue, quæ sua quis industria quæsiverat, aliquo potuisse casu, etiam post latam à Moyse legem alienari, vendi, donari, pluribus ex historia sacra deductis poterat exemplis probari. Circa bona immobilia distinguendum est, inter prædia soli, & prædia solo cohærentia. Prædia soli, qualia sunt, fundus, ager, vinea, &c. quæ rusticorum nomine JCtis, in servitutum materia, veniunt, per legem divinam alienari prohibebantur; quò spectat illud Nabothi ad Achabum: *μή μοι γένοιτο παρὰ Κυρίου, δοῦναι τὴν κληρονομίαν τῶν πατέρων μου σοί. Prohibeat hoc à me Jehovah, ut dem hereditatem patrum meorum tibi!* Noverat nimirum vir pius, id genus alienationes lege divina usque adeo improbari, ut ne melioribus quidem conditionibus (meliorem namque aliam, sive vere, sive simulate, Rex offerebat) alienationi adjectis, fieri, salva lege possent.

LIV.

Cur autem prædia ejusmodi vendi, aut alienari noluerit Deus, præter alias, potissimum duas invenio causas: Prima est; quia fieri hoc pacto facile potuisset, ut ab una tribu ad aliam bona transferrentur, quod modis omnibus præcautum voluit Deus; Et hâc eâdem de causa non licuit filiabus ἐπικλήροις enubere in tribum alienam. *Numeror. 36. v. 6. & 7.* Τοῦτο τὸ ῥῆμα, ὃ συνέταξε Κύριος ταῖς θυγατράσι Σαλπαὰδ, λέγων, οὗ ἂν ἀρέσκει ἐναντίον αὐτῶν, ἔστωσαν γυναῖκες, πλὴν ἐκ τοῦ δήμου τοῦ πατρὸς αὐτῶν ἔστωσαν γυναῖκες; Καὶ οὐχὶ περιστραφήσεται ἡ κληρονομία τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ, ἀπὸ φυλῆς ἐπὶ φυλὴν, ὅτι ἕκαστος ἐν τῇ κληρονομίᾳ τῆς φυλῆς τῆς πατρικῆς προσκολληθήσονται οἱ υἱοὶ Ἰσραήλ. Quem locum variis interpretationibus, ut fit, divexant Magistri. Plerique legem hanc de mutuis tri-

buum nuptiis interdictis, non perpetuam, sed temporalem duntaxat, ævique brevis faciunt, & ad dividendæ terræ promissæ tempus restringunt; vide quæ tradit *Seldenus cap.18.* laudat *Misnam & utramq; Gemaram, Eusebium, Hieronymum, Andronicum Cplitanum, Lyranum ad Numeror. 36. Thomam, Baronium, Ludovicum Molinam, Casaubonum &c.*

LV.

Altera causa est, quia prædia hæc partem constituebant terræ sanctæ, cujus possessionem quidem, in quam stupendis miraculis velut advenæ & coloni fuerant inducti, Israëlitis Deus concesserat; directum vero ac superius dominium sibi reservarat, quod ex *ante laudato Levit. loco* luculenter apparet. Secus fuit circa prædia solo cohærentia constitutum. Prædia solo cohærentia voco ædificia quocunque loco posita, quæ urbanorum nomen, in materia de servitutibus, maxime apud Romanos, obtinuerunt JCtos, §. 1. *Instit. de servit l. 1. ff. Commun præd. l. 198. de V. S. l. 20. §. 1. l. 21. l. ult. ff. de S. U. P.* Circa prædia hæc quid lex divina caverit observandum, *Levit. c. 25. v. 29. & seqq.* exponitur; quo loco distinguitur I. inter *domum urbanam*, οἰκίαν οἰκητὴν ἐν πόλει τετειχισμένῃ, & *domum paganam*, ἐν ἐπαύλεσιν, αἷς οὐκ ἔστιν ἐν αὐταῖς τεῖχος κύκλῳ, ut Hellenistæ reddiderunt. II. Inter *domum communem* seu Laicorum, & *Leviticam. vide passim Interpp.*

LVI.

Hucusque pro instituti ratione breviter dissertata, nos eò ducunt, ut intelligamus, & circa hereditates plus potuisse scriptam legem divinam, quam privatorum voluntatem, & illud, quod in bona, præprimis verò immobilia, competebat, jus, multis fuisse modis restrictum. Quæ cum ita sint, pacta confraternitatis, à diversarum familiarum aut tribuum personis, illustribus etiam, iniri nequaquam, tum quidem, salvo jure hoc, potuisse, satis sit exin perspicuum. Quo autem jure regnum Reges habuerint, priusquam pedem promoveamus, verbo est edisserendum. Facem præfert S. Scriptura, quando 1. *Samuel. c. 8. v. 4. & seqq.* docet, quomodo per improbitatem filiorum Samuelis factum sit, ut regiminis Aristocratici, quale sub Judicibus hactenus obtinuerat, pertæsus populus Israëliticus, Regem sibi postularit,

larit, iis conditionibus ac illo jure, quo Regibus ſvetæ gentes finitimæ, ſub aſperiore unius dominatu, tum temporis vivebant. Quis verborum Prophetæ ſit ſenſus *verſ.* 11. Regiæne poteſtatis jura ac δικαιώματα, quâ voce LXX Interpretes utuntur, deſcribant, an de nudo, quod aliis placet, facto, aut jure uſurpato, veniant intelligenda, ac meri adeo ſint deſpotici dominatus emblemata? certant eruditi; quam litem ut hic faciamus noſtram, præſens non patitur argumentum. Nota ſunt volumina, noti ſcriptores, interque plurium manus verſantur, quibus in utramque partem lis fuit iſthæc agitata. Nobis id locus iſte penitius inſpectus indicat, futuri Regis poteſtati ita ſe ſubmiſiſſe populum, ut nihil exciperetur.

LVII.

Tales vero Principes, cum pleno proprietatis jure regna poſſideant, alienandi jus etiam habere, ſupra diximus. Verum enim vero, quamvis omnia hæc ita ſe fortaſſe habeant, alienandi tamen, aut confraternitatis pactum, de quo nobis hic quæſtio eſt, cum principibus exteris ineundi jus non habuiſſe populi Iſraelitici Reges, duæ potiſſimùm rationes evincere mihi videntur. Prima eſt, quod ſuperius ac directum dominium, ut ante dictum, Deus in terram ſanctam ſibi ſoli reſervaſſet. Altera; quod hoc fieri pacto facile potuiſſet, ut Regi alienigenæ populus Iſraëliticus ſubjiceretur, quod legi divinitus datæ *Deuteron.* 17. *v.* 15. fuiſſet è diametro adverſum. Dictum de jure divino voluntario ſatis ex inſtituto.

LVIII.

Reſtat altera Juris voluntarii ſpecies, quod ſingulorum populorum civile vulgo vocamus. Multiplex id eſſe, & ex unaquaque civitate appellari, ac apud gentes alias aliud obtinere, πολυθρύλλητον. Arcta nobis adeo eſt illius ſignificatio (nequis moratiorum gentium omnium leges civiles, quæ nec unius hominis comprehendi capacitate poſſunt, excuſſuros nos exiſtimet) ut ſolum denotet Romanum; quod, quoties non additur nomen, cujus ſit civitatis, civile κατ' ἐξοχὴν, Romanis præſertim JCtis dici §. 2. *Inſtit. de J. N. G. C.* neque noſtri amplius dupondii ignorant. Huic Juri Rom. Civili, ſi noſtrum ſpectes Imperium, Jus Pontificium, Receſſus ſeu Conſtitutiones Imperii, moresque & conſvetudines tacito conſenſu paulatim

& progressu temporis introductæ porro accensentur; utut Romanorum civile & Pontificium, precaria magis, quam sua, fulgeant autoritate. Romanarum legum (illæ namque primum sibi locum deposcunt) scitis omnino refragari confraternitem, & *à communibus juris istius regulis*, ut nonnemo loquitur, *exorbitare*, communis est Dd. sententia; ad quam confirmandam, plurimos adducunt textus, *l. 4. C. de inut. stip. l. 61. ff. de V. O. l. 16. ff. de suis & leg. her. l. 5. C. de pact. conv. l. 15. l. 19. l. 30. C, de pact. l. 3. C. de Collat.* quibus legibus de futura successione, sive acquirenda sive repudianda paciscī, civibus Romanis interdicitur. Prohibitionis hujus adduntur à quibusdam rationes, è legum, vel verbis, vel argumento, deductæ; in quas ordine prius recensitas, inquirere paulo intimius libet.

LIX.

Prima est, quod confraternitatis pactum *captandæ mortis alterius votum inducat*. Alter; quod *libertati testandi intercedat*. Tertia; quod sit *contra bonos mores, ac plenum tristissimi ac periculosissimi eventus*. Quarta; quod, *quemadmodum accipiendi dominii & obligationum, sic hereditatis quoque certi sint modi, voluntas nimirum domini testantis, & lex aliqua, sive naturalis, sive civilis*. Singulæ pensius nunc considerandæ. Primam, quæ captandæ mortis alienæ votum obtendit, *ex l. 11. C. de Transact.* probare communiter consveverunt. Quam bene vel secus, sequentia facient manifestum. Agit dicta modo lex undecima de fideicommisso inter fratres reciproco, & eundem fere casum, quem lex decimasexta *C. de pact.* exhibet. Casus hic est: Pater duos relinquit filios, eosque testamento scribit heredes, adjecto hoc fideicommissi onere, ut prior absque heredibus decedens, suam partem alteri restituat. Oritur exinde dubium; an fideicommissum hoc conditionale & reciprocum, contra voluntatem testatoris expressam, mutuo remittere sibi possint heredes? Rescribunt Imperatores, ratam esse transactionem, cum fratrum concordia, remoto captandæ mortis alterius voto improbabili retinetur. Non de pacto successorio reciproco, sed repudianda hereditate, legem esse conceptam, quis est, quæso, qui non videat? Nec sequitur: fideicommissi reciproci mutua remissione tollitur invisum captandæ mortis alterius votum, ergo per mutuæ successionis pactum inducitur. Pacti hujus successorii quis sit finis, dissertatio prima dilucide satis exponit, quæ captandæ

mortis

mortis alienæ voto directe adversantur. Adde, quod nondum satis probari videatur, id genus fideicommissis, aut hereditati pactitiæ, magis quam aut testamentariæ aut legitimæ, votum captandæ mortis alterius adhærere. Per accidens, ut Philosophorum scholæ loquuntur, id fieri, recte quis objiceret; quo argumenti genere si pacta successoria liceret impugnare, contra testamenti factionem & legitimas successiones omnes, non minus id quoque valeret. Quid testatoros olim in Rep. Romana permoverit, ut, quod παράλογον *Plutarcho de sera Numinis vindicta* visum, ab herede alium familiæ constituerent emptorem, qui heredi seorsim in tabulis testamenti scripto, post mortem testatoris, familiam, ut manceps fiduciarius, remanciparet, in Jure & antiquitate Romana hospitis esset ignorare. Ut adeo, siquidem vera sunt, quæ à nobis hic dissertata, pactis ejusmodi successoriis captandæ mortis alterius votum objici frustra videatur.

LX.

Accusant porro confraternitatem, quod testandi impediat libertatem: allegant *l. 1. C. de pact. conv.* & *l. 15. C. de pact.* Prima, quam adducit *Hermes in Fasc. Jur. Publ. c. 14. n. 49.* nihil prorsus huc facit: Agit de pacto doti adjecto servando, cui gemina plane est *l. 10. C. de pact. adde Barbos. in Collect. ad h. l.* Miror judicium Autoris, nî aliorum, ut fit, vestigia sit secutus. Altera hanc continet quæstionem: *an de futura in æquas portiones filiæ successione conceptum, & dotali instrumento comprehensum pactum, testamenti faciendi libertatem auferat?* quod negatur. Nulla additur in lege ratio; assignant alii hanc, quod pacto fieri nequaquam possit, ut testandi facultas adimatur, quam qui *ex l. 1. C. de SS. Eccles.* quod nonnemo facit, elicere vellet, ineptus esset merito dicendus. Pacti successorii in lege hâc ne γρῦ quidem habetur; neque magis faciunt *l. 4. & 17. ff. de adim. leg.* Libera est ac ambulatoria hominis voluntas, nec quicquam prohibet, priorem scripturam posteriore corrigere, dummodo libertati huic non injiciat frœnum, aut lex, aut pactum jure validum, cum alio initum. Non omnem testandi libertatem confraternitatis pacto tolli, supra diximus. Et quid si vel maxime tolleretur? Ergone quicquid liberam testandi facultatem adimit, improbandum statim erit? Improbandæ fuerint igitur omnes, quotquot istam libertatem vel

omnino tollunt, vel ad certa saltem bona restringunt, leges plurimorum populorum civiles. Improbanda (quod absurdum) ipsius Dei de successione, quam legitimam fuisse pene omnem, superius ostensum, populo Israëlitico data legislatio.

LXI.

Contra bonos mores, & plenum tristissimi periculosissimiq; eventus esse confraternitatis pactum, dicunt. Sed quomodo, vel unde quæso probant? Adducitur *lex 4. C. de inutil. stip.* & *lex fin. C. de pact.* Prior interpositam de successione futura stipulationem contra bonos mores esse dicit. Verba legis hujus dextre sunt accipienda, quidque per bonos mores intelligi debeat, sedulo investigandum. Non placet *Sicbardus ad C. de Pact. n. 8.* ubi dicit; aliter accipi bonos mores in Jure Civili, aliter in Jure Canonico. Jure Civili, quicquid est contra publicam utilitatem, etiam indirecte, improbum & contra bonos mores haberi: exempla facit donationem inter patrem & filium in potestate constitutum, donationem inter virum & uxorem, constante matrimonio *l. 1. ff. h. t.* De Jure autem Canonico illud tantum contra bonos mores dici, quod inducit peccatum; laudat pro se *Baldum h. & in l. pactum quod dotali 19. qu. 1. de Collat.* Rectius, quinimo textibus juris longe convenientius ita rem proponi crediderim; ἔθιον hanc duobus intelligi modis posse, proprie scil. ac improprie. Priore modo accepta, disconvenientiam, ab eo, quod necessitatem in se continet moralem, significat. Ita moribus prohiberi dicuntur illa, quæ jure gentium, h. e. naturali in vetitum eunt *l. 8. & l. 39. §. 1. ff. de R. N. l. 15. ff. de condit. Instit.* Hoc significatu contra bonos mores esse confraternitatem, nemo sanus dixerit. Altera φράσεως hujus acceptio est impropria, quâ contra bonos mores esse dicuntur, quæ lege aliqua civili sunt prohibita; & hoc sensu Diocletiano & Maximiano Impp. prædictæ legis autoribus sumi videtur; nisi quis votum captandæ mortis alienæ ante oculos habuisse Principes, velit divinare. Dicta igitur *lex 4.* nihil aliud hactenus dicit, quam initam de futura successione stipulationē, certis tantummodo casibus, de quibus infra, exceptis, civili jure prohiberi, aut futurā in bona alterius successionem in pactum deduci non posse, quod nemo inficias temere iverit. Notandum porro est, dictam legem quartam de successione unilate-

re,

re (liceat ita nunc loqui) intelligendam, ac præsenti adeò negocio, vix esse, ut tuto possit applicari.

LXII.

Posterior lex, quæ est *ultima C. de pact. odiosas & tristissimi ac periculosissimi eventus* plenas proclamat de futura successione aut hereditate pactiones. Cœterum nec illa probe intellecta huc potest referri. Casus legis hic est: Duo pluresve de futura, tertii adhuc viventis, quam sperant, hereditate, ex cognatione forte ad illos devolvenda, deque certis modis in eâdem hereditate observandis, paciscuntur. An valeat pactum quæritur? Negat Justinianus Imp. additis rationibus: unicum tamen hunc excipit casum; nisi tertius ille, de cujus hereditate agitur, suam paciscentibus voluntatem accommodaverit, inque eâ, ad extremum vitæ suæ spacium, perseverarit, cum talis consensus captandæ mortis alterius votum tollat. At verò, in pacto confraternitatis, non agitur de hereditate tertii, pacto non comprehensi; sed ipsi paciscentes de bonis suis paciscuntur. Quod si jam de successione tertii alicujus pacisci, dummodo voluntatem suam is accommodet, permissum est; quanto magis dominis, de re sua, in demortuæ stirpis alterius casum, constituentibus, poterat videri hoc permittendum.

LXIII.

Quod de modis acquirendæ hereditatis duobus ordinariis ex *l. fin. ff. de suis & leg. her. & §. ult. Instit. per quas pers. acq.* nonnulli denique afferunt, leviculum sane est; neque enim, quod extraordinarium est, hoc ipso statim legibus est prohibitum. Quod si in vim ultimæ voluntatis, ut nonnulli volunt, pactionem talem valere statuas; duarum familiarum, quæ, ut duæ personæ morales, in hoc actu spectantur, mutuum & reciprocum, irrevocabile tamen, habebis quasi testamentum. An igitur & qt. juri civili confraternitas adversetur, ex hactenus dictis perspicere, fuerit, sic opinor, cuivis in facili.

LXIV.

Num vero possit juramento confirmari, disceptandi nonnullos subit lubido. Negantibus adstipulatur *Limnæus de I. P. l. 4. c. 8. n. 133.* citat pro sua sententia *Zasium ad l. 61. ff. de V. O. n. 48. & Sichard. ad l. 3. C. de Collat.* cum quibus etiam facit *Daniel Otto I. P. c. 11.* Quâ consc-

consequentiæ lege ex adductis textibus id colligant, ipsi viderint. Argumentis legum certare, suis non caret dubiis & difficultatibus. Jure Civili non illam esse juramentis vim tributam, ut pactis jure alioquin invalidis robur aliquod addant, plus quam est notissimum. Secus tamen res habet, si de jure Pontificio quæras, *c. 2. ext. de pact. in 6.* ubi repudiandæ hereditatis pactum juramento dicitur firmari.

LXV.

Illud paucis prius addendum, quam hinc porro progrediamur, casibus aliquot permissam jure Rom. civili, de futura successione acquirenda pactionem. Primus est in *l. 3. §. 2. ff. pro socio*, ubi de hereditate tertii, incerta & dubia, quam in societatem bonorum omnium universalem venire, deque ea pacisci licere, Paulus JC. respondet, specialis proponitur casus, qui licet huc proprie non spectet, hoc tamen probat; de hereditate futura permissum esse, quandoque pactiones inire. Alterum *lex 19. C. de pact.* exhibet, quo militibus ad prælii discrimen pergentibus, ob communem mortis fortunam, paciscendi invicem licentia, Principalium constitutionum prompto favore (sic loquuntur Imperatores) conceditur; *vide præter Goth. in not. marg. Barbos. & Brunnem. ad d. l.* Quomodo pro confirmando confraternitatis, inter Principes, Germaniæ præsertim, pacto, Doctorum nonnulli lege hac abutantur, ex illis, quæ de jure militari quamplurimis tantopere jactato, *dissert.* 1. dixi, non potest esse obscurum. Pacti hujus militaris à nostro discrimen exin manifestò dignoscitur, quod in vim ultimæ voluntatis valeat, sive, ut Imperatori loqui placet, *vim postremi judicii obtineat*, ac ante mortem proinde sit revocabile, neque liberam testamenti faciendi impediat facultatem. Tertius est *legis ultima C eod.* quam paulo ante paucissimis ex instituto dedimus explicitam. Dicta hæc de Jure Rom civili in præsens ita sufficiant.

LXVI.

Per Germaniam quo jure primitus invaluerint, inter familias Principum illustres pacta confraternitatis, *dissert.* 1. fuit indicatum. De requisitis etiam, tam essentialibus, ut loquuntur, quàm quæ per accidens insunt, *eadem dissert.* prolixius est expositum. Restat hic unicum duntaxat inquirendum; *an hodierno adhuc tempore pacta hac inter Principes Germanos, aut exteros Imperii cives, de novo ineunda, solius*

solius Imperatoris confirmatio reddat valida; an vero Statuum, & cumprimis Electorum consensus insuper sit necessarius? Non exigui ponderis esse quæstionem, dicit *Guttich. de Confr. th. 6. lit. a.* illius vero decisionem dependere ait è decisione hujus: *An nimirum Imperator, hodiernis moribus, possit de feudis, Imperio apertis, alios rein feudare?* Laudat *Bocer. de Regal. c. 2. n. 61. & c. 4. n. 15. Bornit. de fund. stat. Reip. c. 27. Rosenth. de Feud. c. 5. concl. 12. n. 4.* communi & veteri insistentes regulæ. *Quod quilibet dominus feudi, rem sibi apertam denuo alii concedere possit; decidunt etiam, Imperatorem adhuc hanc habere potestatem, cum ipsa in hoc nondum sit restricta, non obstante Capit. Caroli V. apud Sleid. l. 1.* In contrariam mox opinionem ipse descendit. Cœterum quid opus erat tanto conatu? Plana, neque ullis implicita difficultatibus res est; quod jam dicenda facient manifestum.

LXVII.

Cumprimis autem probe hic attendendum τὸ κρινόμενον: controversia non est, de Statibus sive Principibus confœderatis, h. e. illis, qui eo pacto possunt lædi, quorum consensum omninò necessarium esse, extra certaminis discrimen pono. Sed neque rationes desunt, è confraternitatis effectibus petendæ, nec exemplum, quod pactio Saxonico-Hennebergica suppeditat, in quâ confœderatæ Domus Hassiacæ consensum fuisse requisitum, scriptorum testimoniis certum est; *vide Muscul. th. 51. Reusner. Vol. 1. Cons. 3. n. 48.* Neque confundendæ sunt etiam diversæ quæstiones, quarum altera de bonis vacantibus & caducis, altera de feudo olim vacaturo concepta est, neque hujus decisio ex alterius decisione, ut male censet *Guttich. c. a. l.* ullatenus dependet. Quam fuerit omninò ad ineundas confraternitates, confirmatio Cæsaris olim necessaria, *differt. 1.* ostendimus, quæ sola aut omissa, aut denegata, pactum facit ipso jure nullum. Denegatæ confirmationis exemplum ponit *Limnæus l. 4. c. 8. n. 176.* Neque requisitis ad pacti validitatem necessariis, aut Statuum aut Electorum consensum, ab ullo scriptore videas accenseri. Et ita ad Maximiliani I. Cæsaris usque tempora res sese, dubio procul, habuit.

LXVIII.

Postea lege Germanorum regia, seu per Capitulationes Imperatorias, aliud constitutum nonnulli putant. Defendendæ huic sen-

tentiæ patrocinia quærunt è *Capit. Caroli V. art.* 24. quam compendio contractam *l.* 1. *de stat. relig. & Resp. Sleidanus* exhibet, *Ferdinandi I. art.* 22. *&* 23. *Rudolphi art.* 12. *Matthiæ art.* 29. Verum omnes hosce textus, de bonis vacantibus, & quocunque modo, sive refutatione, sive delicto, aut morte vasalli, Imperio apertis, loqui, verba adeo clare testantur, ut jure mireris, quid *Buxtorffium*, *Arumæum* & *Limnæum* movere potuerit, ut erroris, nescio cujus incusarint *Bocerum de Regal. c.* 2. *n.* 61. *& c.* 4. *n.* 15. qui Capitulationis Carolinæ articulum 24. de bonis vacantibus accepit. Neque compendiosa *Sleidani* versio ut ex *Buxtorfio* vult *Guttich.*, & adstipulatur *Limnæus*, *Bocerum* decepit. Ipsa lubet verba huc apponere: **Wann auch Lehen dem Reich und Uns bey Zeiten Unserer Regierung eroffnet / und leediglich heimfallen werden** / &c. Quæ posteriora verba satis indicant, de bonis vacantibus (Græci vocant ἀδέσποτα) dictam capitulationem intelligendam; neque aliter interpretari illa potuit ipse sui immemor *Limn. in Annot. ad art.* 24. *Capit. Carol. verbo* **leediglich heimfallen** / citat A. B. *c.* 7. §. *ult.* Quod autem de ususfructus feudalis consolidatione cum directo dominio Imperii, textum intelligi debere, vult *idem*, *verbo* **Lehen** / ad rem parum, ne dicam, nihil confert. Præterquam enim quod ab usufructu feudi natura longe distat, titulo perpetuo, & adversus ipsos directos dominos vindicandi jure, gaudens, nemo temere dixerit, pactionis ineundæ tempore, bona, de quibus futuri confratres paciscuntur, imperio vacare. Cassum itaque præsidium est, quod occupat *Limnæus*: nec enim sequitur; de feudis, Imperio apertis, & vacantibus, pro lubitu non potest disponere Imperator, ergo de nondum vacantibus inita à Principibus pacta confirmandi jus quoque nullum habet.


LXIX.

Placet in hoc negocio, quod crebro nimis sermone aliàs nostri usurpant JCti, *erubescendum sine lege loqui.* Enimvero, si illa, seculis fere aliquot usitata, solius Imperatoris confirmatio, lege aliqua postmodum fuit restricta, sequitur, illam restrictionem in lege contineri vel κατὰ τὸ ῥητόν, ut loquuntur, vel κατὰ τὴν διάνοιαν. Prius, citra temeritatis notam, nemo tam audax est, qui contenderit. Posterius

fterius vero solidioris consequentiæ legibus est evincendum; quod qui fecerit, hactenus vidi neminem. Quod itaque mutatum non est, cur stare prohibeatur? Præterea, quod vel cumprimis observandum, & maximi in hâc controversia momenti est censendum; annon Carolus V, irrequisito Electorum & Statuum consensu, pactam inter Saxonas & Hennebergicos confraternitatem, anno seculi superioris post quinquagesimum quinto confirmavit? Ubi igitur exempla, rerumque adsunt testimonia, quid opus est verbis? Accedit denique, quod illa scriptorum nonnullis tantopere jactata, de reducendis ad patrimonium Imperii publicum, feudis hoc modo vacantibus, constitutio, ad præsens usque tempus, ne unico quidem potuerit actu in praxin vocari, fatente, ac insignibus exemplis duobus declarante ipso *Limnæo ad d. capit. art. 24. verbo* behalten. De Wilhelmi Juliacensium Ducum ultimi bonis Imperio vacantibus, qui fuerint exorti hoc seculo tumultus, in recente est omnibus memoria. Frustra igitur *Gutticbius*, & qui cum eo faciunt, *Limnæus c. a. l.* & *Carpzov. ad l. Reg. c. 6. s. 7. n. 89.* ad legem, quæ usu nunquam obtinuit, pro decidenda hac lite, provocant; neque, quo minus sola Imperatoris confirmatione talia pacta adhuc hodieque valida reddantur, quicquam videtur hactenus obstare.

LXX.

Quæ cum ita sint, nova illa de Electorum, aut reliquorum etiam Imperii Statuum, consensu, cautela non opus habebunt pacturi, nisi forte cum *Carpzovio c. a. l.* dicere velis: *tutius agere Principes, de futura successione invicem paciscentes, si desuper non solum Cæsaris confirmationem, sed & reliquorum Imperii Statuum, vel saltem Archi-Principum Electorum consensum & approbationem requirant.* Quod ipsum cum magis sit honestatis, quam præcisæ necessitatis, magisq; consilii quám præcepti, hic in controversiam vocare, nihil ad rem attinet. An igitur & qt. juri, tam naturali, quam voluntario conveniat confraternitas, ex his perspicuum est. Atque sic finitum esto Themidos examen.


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

❧(o)❧